

De ischiade nervosa commentarius / [Domenico Cotugno].

Contributors

Cotugno, Domenico, 1736-1822.

Publication/Creation

Neapoli : Apud Fratres Simonios, 1764.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ra2xt9z3>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>







18, 920/B
F. IV.

19c

Na³³⁺²⁷/pb

Iniv ✓

13 B-22 24249

Feb. 1961. Tung



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30524106>

DOMINICI COTVNNI

PHIL. ET MED. DOCT.

D E

ISCHIADE NERVOSEA

COMMENTARIUS.



N E A P O L I
APVD FRATRES SIMONIOS
M D C C L X I V .

PUBLICA FACVLTATE.



*Libertas, quæ sera tamen respexit inertem,
Respexit tamen, & longo post tempore venit.*

VIRGILIVS Bucol. Ecl. I.

ILLVSTRISSIMIS ATQVE EXCELLENTISSIMIS

V I R I S

M A G N I N E A P O L I T A N I

INCVRABILIVM NOSOCOMII MODERATORIBVS

ANGELO MARCHIONI DE CAVALCANTIBVS ,
Equiti Consentino , Regiae Cameræ Summariæ Locum-
tenenti , Nosocomii Protectori Delegato .

LEONARDO DE TOCCO , Hispaniarum Magnati pri-
mæ Clasfis , Equiti Divi Januarii , Montismiletti Prin-
cipi &c. &c.

JOANNI PIGNONO DE CARRECTO Patricio
Neapolitano .

CAROLO PAVLETTTO Regis Consiliario .

HORATIO GVIDOTTO Cauffarum Patrono .

MARCO TVRRIO .

JOSEPHO CALIPHANO .

D O M I N I C V S C O T V N N I V S

F.



VM nonnullas haberem observa-
tiones , in hoc Vestro perætas
Incurabilem Valetudinario , ad
illam ischiadem pertinentes ,
quæ sævissima omnium , & frequentissima
nervis pertinaciter inhærescit ; constitui nuper

MO-

MODERATORES AMPLISSIMI , dum
parumper me subtraherem considerationi ma-
lorum , quæ hoc ipso tot per menses vidi-
mus anno , eas omnes in ordinem digerere,
ut libro complexas aliquando evulgarem .
Etenim nonnihil utiles hominum generi es-
se posse videbantur , & otii caussas quære-
bamus in litteris avidissime . Quumque ho-
ris aliquot subsecivis eas tandem ordinat-
sem , constituissemque in præsens invulga-
re , nolui committere ut opus proxima fæ-
tura natum quidem apud me , sed domi
Vestræ , Vobis insciis , nullisque patriis
insignibus decoratum in publicum exiret .
Sum namque non mediocriter veritus ne
homines ingenio leves , & alienis ope-
ribus detrahendis intenti , quorum ubique
gentium copia non deest , illud ex facili
opinarentur , non curasse me ut de illo Vos
cognosceretis , quasi parum auctoritatis , &
ornamenti habere posset a Vobis . Quo crimi-
ne nullum , puto , de me posse absurdius cogita-
ri , neque hoc tempore gravius aliud mibi pos-
set affungi . Qui enim inter maximas ratio-
nes , quibus potissime sum permotus , ut bu-
jus opusculi editionem quodammodo festina-
rem ,

rem, illam habui præcipuam, atque adhuc
præ me fero, quod ita longe peroptatam Vos
publice alloquendi honestam occasionem mi-
bi compararem, principi fructu laboris mei
turpi ista calumnia privarer omnino. Ete-
nim quibus sentio me esse devinctum im-
mortalibus beneficiis, habendus videar in-
gratissimus si, quam referre nullo modo pos-
sim, publice saltem gratiam non enitar ha-
bere. Probe scilicet reminiscor ex quo
tempore Medici munus in hoc Vestro No-
socomio mibi decrevistis; nimirum per hos
integros decem annos; nullam de me Vos
bene merendi præterivisse occasionem. In
primis autem memini; & tantæ voluntatis
in me vestræ mecum vivet memoria sem-
piterna; mibi Vos tertium vix agenti su-
pra vicesimum annum gravissimam provin-
ciam ultro demandasse, ut scilicet in hac
Vestra Regia Academia selectissimos Ado-
lescentes in re Chirurgica erudirem, cu-
jus potissimum facultatis studio in hoc
Vestrum Nosocomium confluunt numerosissi-
mi. Quod munus cum nemini ante me ni-
si doctrina præcellenti fuerit a Vobis sa-
pientissime creditum, cumque meo tempore

com-

competentibus Claris Viris sit denegatum ,
mibi datum pene ephebo , satis ostendit
quantum Vos mediocritati meæ , non qui-
dem ingenj , quod semper sensi perexiguum ,
sed diligentia & sedulitatis , in quibus cer-
te conor nemini concedere , jam pridem tri-
bueritis . Cui Vestro perbenigno de me ju-
dicio an pro viribus respondere semper sim
connisus , non adeo mea fide Vobis profite-
bor , ut non simul eos omnes excitare pos-
sim testes ejus rei peridoneos , quotquot mibi
sive Nosocomii , sive externi adolescentes
prælegenti affuere . Constat enim inter
omnes , qui per hos septem fere annos
partim publice privatimque docentem me
audiverunt , partim in illis , quas frequen-
tes habui , Chirurgicis , Anatomicisque disse-
ctionibus demonstranti astitere , quanto
semper opere in his contenderim , ut Adole-
scientium studia promoverentur . Et quam-
quam fuerint non obscura , neque , in tan-
ta vigilantia Vestra , Vobis ignota ista qua-
lislibet diligentiae documenta , ea tamen
sæpe optavi publico etiam aliquo monumen-
to tanquam ipsis metu Vestris oculis subjice-
re . Non enim facile dixero quanto studio
adhuc-

adbucusque flagraverim efficere ut Vobis a-
pertissime constaret conari me quantis viri-
bus possem (utinam tantis, quæ voluntatem
Vestram , atque muneris dignitatem exæ-
quarent) ne expectatio de me Vestra Vos
omnino fefellisse videretur. Atqui hæc fuit
ratio præcipua cur inter summas temporis
angustias , aliasque longe difficillimas occu-
pationes in edendum hoc opus nunc potissi-
mum incubuerim ; quod etsi maximam par-
tem ad Medicum pertineat, non pauca ta-
men babet ad Anatomen , ipsamque meden-
di artem pertinentia , quæ Chirurgum vel
ornent vel perficiant. Itaque Vos, PRÆ-
STANTISSIMI VIRI , quibus ob maxima
in me merita , sacrum hoc opus, dicatumque
volo ; si vacat inter maximas illas curas ,
quibus ad publicam utilitatem distinemini ,
oculos ad hæc parva convertere , tanquam
grati animi signum hoc munusculum specta-
tore , frontem ei serenam ostendite , tutela
Vestra & patrocinio ornate . Sic ei per
Vos , veluti dote aucto , pretium accedet , au-
toritas , & ornamentum ; stabitque mei
erga Vos animi , Vestrorumque erga me
benefactorum monumentum sempiternum .

Dum-

Dumque tot alia *Vestra* egregia opera, publicum scilicet magnificentissimum Sepulchretum longe ab *Vrbis* mæniis, divino quodam instinctu, nuper a *Vobis* extructum; sollicite per *Vos* multiplicata, diligenterque instructa & instituta, in nupera morbi strage ægrotantium Claustra; in summa illa annonæ caritate mire servatum hoc illustre Nosocomium, quantum prudentia, & vigilantia præcellatis mirifice prædicant; hoc meum qualecumque ingenii opus quam sit *Vestra* in bonas litteras, medicasque in primis disciplinas, egregia voluntas notum omnibus efficiet. Ita *Vos DEVS, EXCELLENTISSIMI VIRI,* singulos in publicam utilitatem servet diutissime incolumes, & jubeat universos huic Nosocomio, quod mirabili prudentia moderamini, diutius præsidere, ut sub quorum tutela cœpit mirifice splendescere, perfectum culmen dignitatis acquirat.

Neapoli quarto Calendas Decembris
MDCCLXIV.

C A P I T U M S U M M A

Ad Ill. SWIETENUM præfatio.

- I. Ischiadis definitio , & etymon .
- II. Genera ischiadis duo : arthritica , & nervosa .
- III. Nervosæ ischiadis species duæ , antica , & postica : utriusque descriptio .
- IV. Nervosæ ischiadis posticæ proprietates .
- V. Sedem ejus in ischiadicō ner-vo esse , doloris positus , & di-rectio ostendit .
- VI. Evincunt etiam symptomata .
- VII. In his symptomatibus est tabes ischiadicæ sedis , quæ differt ab ischiadica HIPPO-CRATIS tabe .
- VIII. Caussa ischiadicō nervo dolorem inferens in ejus vaginis residet , venitque ad vaginas , vel a spina , vel a propriis arteriis .
- IX. Spinæ cavum circa medullam spinalem compleetur humore .
- X. Similis etiam est humor circa cerebrum , & cerebellum .
- XI. Cur eum spinæ , & cerebri humorem non perviderint Anatomici .
- XII. Quomodo possit pervideri .
- XIII. An hic spinæ humor sit secundum naturam .
- XIV. Spinæ humoris origo ab arteriis est exhalantibus : ad eum etiam venit pars humoris ventriculorum cerebri .
- XV. Cujus ventriculorum humoris miscellam non redarguit , quod spinæ humor coagulari non possit , cum ne ventriculorum humor coaguletur .
- XVI. Non fidendum experimen-
- tis , quibus ventriculorum hu-mor coaguli videtur particeps ; sunt namque fallacia .
- XVII. Sic etiam urina inventa particeps coaguli .
- XVIII. Et vapores omnes inter-ni coagulum habere visi sunt , qui naturaliter sunt impotes coaguli : in his humor peri-cardii ,
- XIX. Pectoris etiam vapor , ab dominis , & testium .
- XX. Fiunt tamen vapores præter naturam coagulabiles .
- XXI. Ratio cur coagulari non possint secundum naturam ,
- XXII. Et cur præter naturam coagulabilem indolem acqui-rant .
- XXIII. Non est ergo fidendum ex-perimentis , quæ aliquid coagu-latum in vaporibus ostendunt .
- XXIV. Spinæ vaporis aliqua por-tio nervos spinam egressos po-test comitari .
- XXV. Non ejus tamen originis potuit humor esse , quem a nervis MALPIGHIIUS expressit .
- XXVI. Erat ille humor ab ar-teriis , quæ humorum exhalant in nervorum vaginis .
- XXVII. Hic vaginarum humor aut quia multus , aut quia acer in ischiadicō nervo est , gignit ischiadem .
- XXVIII. Et in ischiadicis nervis vaginæ ob amplitudinem ei morbo sunt opportunæ .
- XXIX. Tum etiam ob levem , quam habent muscularum ap-pressionem .
- XXX. Hæ sunt caussæ ischiadi-cum nervum præ reliquis ma-chi-

- chinæ nervis ad ischiadem prædisponentes.
- XXXI.** Quibus caussis disponentibus pares etiam sunt in nervo cubitali, qui æquis ideo noxis est opportunior.
- XXXII.** Quomodo symptomata omnia nervosæ ischiadis posticæ ex illis caussis oriuntur.
- XXXIII.** Nervus ischiadicus longam ischiadem patiens fit hydropticus, isque hydrops saepe stimuli effectus est, a quo crampi oriuntur.
- XXXIV.** Hydrope perfecto, fit ischias intermittens.
- XXXV.** Dissecatio cadaveris ischiadem passi.
- XXXVI.** Hydrops ischiadici nervi secundum ipsum dolentis nervi tractum extenditur.
- XXXVII.** Tria posticæ ischiadis nervosæ stadia sunt.
- XXXVIII.** In primo stadio sanguinis missio necessaria.
- XXXIX.** Ex ipsa parte affecta sanguis utilius educitur.
- XL.** Utilis alvi eductio maxime per clysteres
- XLI.** Frictionum utilitas, & modus: auxilia alia frictiones imitantia.
- XLII.** Opii usus opportunus.
- XLIII.** Experimenta in avibus opio instituta.
- XLIV.** In venerea ischiade compescenda maxime opium est utile, ut & usus hydrargyri.
- XLV.** In altero ischiadis stadio acerrimi clysteres damnosissimi.
- XLVI.** Inutilia caustica, nisi applicentur loco apto, & in sola postica ischiade nervosa.
- XLVII.** Indicatio curativa in hoc altero morbi stadio est apertio vaginalium ischiadici nervi.
- XLVIII.** Ea fieri debet in sedibus subcutaneis, & fit utiliter applicato vesicante.
- XLIX.** Vesicantia per uleus quod excitant evacuant humores a subjectis cuti locis attractos.
- L.** Veterum quædam fortuita observata utilitatem ustionis super sedes nervi ischiadici subcutaneas indicantia.
- LI.** Primum ejus operis experimentum felicissimum.
- LII.** Plurima alia eodem exitu instituta, & quædam observata ex iisdem eruta.
- LIII.** Quomodo sedes nervi subcutanea diligenda est ad quam vesicans applicetur.
- LIV.** An ignis prodeesse possit iisdem sedibus applicatus.
- LV.** In cubitali nervo pares ischiadi dolores vesicante curati: quid fiat in ischiadico nervo postquam opera vesicantis ab ischiade est liberatus.
- LVI.** In tertio ischiadis stadio, semiparalysi ischiadica, quæ sint peragenda.
- LVII.** Quomodo curanda ischias nervosa antica.

Peroratio Operis.

ERRATA aliquot sic CORRIGENDA

pag. 35. verf. XI. assentiter assentirer
39. v. ultimo. strictæ stricta-

qu que
57. v. XIV. vaginas vaginis

Aliibus in locis pro hemorrhoides lege hæmorrhoides.
Levia alia, & commatum in primis defectus, vel transpositio-
nes diligens lector per se corriget.

COM-

C O M M E N T A R I I
 D E I S C H I A D E N E R V O S A
A D V I R V M A M P L I S S I M V M
 G E R A R D V M L. B. V A N S W I E T E N
 C Æ S A R I S A R C H I A T R V M
P R Æ F A T I O.



I studium fabricæ corporis humani , a quo summa utilitas solet ad cognoscendos , medendosque morbos dimanare , sedulo ii omnes colerent , qui rationali medicinæ nomina dederunt ; & non potius præjudiciis , vel desidia , distracti , levia plerique , aut remota ab usu , peritiaque medendi , studia sequerentur ; in tanto Rationalium Medicorum numero , non tam frequenter desiderari videremus , GERARDE SWIETENE Vir Amplissime , rectam illam , quam ceteroquin jactitant , medendi rationem . At præsentium temporum ea est conditio , ut studia potius speciosa , variamque doctrinam vulgo redolentia , Medicorum plurimi sectentur ; studium vero corporis humani vix paucissimi excolant : & , quod turpius est , omnisci quidam , si Diis placet , Medici , modo totam , quanta est , spernunt Anatomen , modo ejus subtilitates vanitatis accusant . Quorum ego dicta etsi non tam censeam reprimenda , quam potius viriliter despectanda ; homini tamen ingenuo ne multum invalescant annitendum existimo . Verendum

est enim ne libere in vulgus pernoxiæ voces diu vagatæ, ex alieno silentio auctoritatem sibi vindicent, ac Adolescentium animos, suapte natura laborem abhorrentes, in primis infiant, nascentiaque Republicæ præsidia damno perdant irreparabili. Quam ob rem in honore, ac laude semper habui scripta Virorum præstantissimorum, qui Anatomes studii utilitatem summam, paremque necessitatem ad recte medendum præstitere. Quod utinam & saepius esset factum, & argumentis adhuc probaretur non difficultibus, neque alte petitis, sed, quantum fieri possit, obviis, & a quotidiana medendi experientia non remotis. Vim enim ad persuadendum sub oculis posita magnam habent exempla, ut quæ moveant animum dum docent. Accidit igitur opportune ut, quam dedit Anatome, morbi frequentis, ac obstinati, *ischiadis nervosæ* curandi methodum haberem, aptam ad ostendendum quam in ipsis etiam pertinacibus morbis, & jam fere insanabilibus, ad feliciter medendum scientia Corporis juvet. Qua de re, cum, inter permolestas Clinices potissimum occupationes, animum tantisper avocare nuperrime peroptarem, ut aliquid potui temporis anxius suffurari, Tecum agere volui, Doctissime SWIETENE, brevi, ut cernis, commentariolo, nec multum tua tempora inutiliter moraturo. Ut dum Adolescentes exemplo non levi ad Anatomen incito, eoque ex studio summas ad medendum iis spondeo utilitates, Te memoratum habeant Medicum Sapientissimum, in quo cernant illustre exemplar summæ artis peritiæ, profectæ in primis ab eximia notitia corporis humani.



D E
ISCHIADE NERVOSA
COMMENTARIUS.

I.



V L G O Medicis est notum , dolorem pertinacem , qui raro utramque coxam , saepius autem alterutram , e regione articuli cum femore prehendit , sic ut claudum suo ex latere ægrotantem efficiat , *ischiadem* nominari . Quam vocem origine græcam , atque a principe ipsa morbi sede petitam ; coxa enim Græcis *ισχίον* est dicta ; dubito an ante PLINII majoris tempora Latium adoptarit (a) . Quamquam enim *ischiacos* CATO moret (b) , CELSVS tamen , latinorum nominum , quæ suis temporibus essent morbis tributa , censor perdiligens , cum semel , & iterum ischiadem memoraret , *coxæ dolorem* maluit appellare (c) .

II. ISCHIADIS autem species variæ sunt , ob varias coxae partes , quas dolor infidit : eaque omnes , et si minus , ac par esset , adhuc a Medicis distinctæ videantur , quia propriis tamen characteribus digno-

A 3

sci

(a) Histor. Nat. lib. XXVII. c. i.
(b) De re Rustica cap. CXXIII.

(c) De re Medica Lib. II. cap. VIII. Lib. IV. cap. XXII.

sci possunt, & propriam singulæ curationem expostulant, sunt sedulo distinguendæ. Duæ igitur summae possunt ischiadis species constitui: altera in qua dolor fixus in coxa ulterius non excurrit: altera vero in qua subjectum læsæ coxæ pedem, continuo tractu propagatus, attingit. Priori, quamquam sedes coxæ affecta non una semper eademque sit, neque semper eadem cauſa doloris; quia tamen circa coxæ articulum versatur, *arthriticæ ischiadis* nomen recte inditum puto: alteri, quod semper sedeat in nervis coxam transcendentibus, etsi aliquibus vera, uti PROSPERO MARTIANO (*d*), aliis, ut RIOLANO, (*e*) *notba* ischias dicta sit, a propria tamen sede, *nervosæ ischiadis* nomen fortasse convenerit.

III. DE arthritica vero ischiade nobis in praefens nulla erit quæſtio. Scimus enim præstantissimos Viros nihil eorum, quæ ad varias ejus cauſas, variisque sedes pertineant, intactum reliquisse. Quos inter Ill. MORGAGNVM (*f*), & Cl. Virum ANTONIVM DE HAEN (*g*), prima laude dignos nominabo. Dicam tantum de nervosa, cuius maximæ res latent adhuc in obſcuro. Sunt autem nervosæ ischiadis species duæ. Altera enim fixum dolorem habet in coxa, præcipue post majorem femoris trochanterem, qui sursum ad os sacrum, deorsum, per exteriū femoris latus, ad poplitem usque vim suam extendit: raro hic autem in poplite dolor definit, sed fere semper a poplite, per capitis fibulæ exteriora declinans, in priorem descendit cruris partem, quam secundum exteriū latus spinæ tibiæ anterioris percurrentes, ante malleolum exteriorem, in dorsum pedis tandem

(*d*) In HIPPOCRATIS Librum de Affectionibus, ſect. II. verf. 25. p. m. 166.

(*e*) Enchirid. Anatom. Lib. V. cap. III.

(*f*) De Sedib. & Cauſis morb. per Anatomen indagatis Lib. IV. Ep. LVII.

(*g*) Rationis Medendi Lib. IV. cap. IV.

tandem definit. Altera vero species fixum dolorem in inguine ostendit, qui per interiorem femoris, ac suræ, partem propagatur. Priorem; quod posticas insideat coxæ partes, totaque fundetur in ischiatrici nervi affectione; *ischiadem nervosam posticam* appello: alteram; quod coxæ priora possideat, nervique cruralis passione generetur; *nervosam ischiadem anticam* nominabo. De singula quid habeam observatione compertum, quidque sentiam, nunc breviter dicam.

IV. Et primum de postica ischiade nervosa hæc observavi. Ea quidem aut *continua* occurrit, aut *intermittens*: aliquando etenim dies, noctesque, ischiatricus dolor sine mora discruciat; sæpiissime vero inducias dat, statisque temporibus revertitur, & sævit. Vtrique id omnino constans est ut vespertinis in horis dolor exacerbetur: ipsaque ischias intermittens accessus suos eo tempore fortiri solet. His autem in accessibus tanta partis affectæ fit convulsio, ut sæpe crampi sensu vexentur ægroti, lectum fugiant, cuius noceat calor, liberoque in aëre versentur. Fere autem in initiis continua hæc ischias semper est, fitque sensim, quasi fatiscat, intermittens. Quæ intermittens tamen ischias sæpe omnium sævissima esse solet: ut ad vires colligendas inducias sumere videatur. Cum autem a continua plurimos viderim in ischiadem nervosam intermittentem transivisse, neminem contra vidi in continuam ischiadem ab intermittente relapsum: quod non sine ægri usura factum foret, ab intolerabili sæpe morbo ad mitiorem transeuntis. Hæc tamen omnia utcumque procedant, si diutine obtineat, transit hæc ischias in partis affectæ semiparalysim: cui solet individua comes accedere & macies non levis, & insuperabilis claudicatio. Paralysim perfectam, in tot exem-

plis, ab hac ischiade natam vidi nunquam.

V. His omnibus characteribus diligenter obser-
vatis, mihi recte intelligere visus sum, nervosam ischia-
dem posticam in ischiadici nervi affectione consistere.
Quem et si fors non tulerit unquam in ischiaci ca-
davere investigare; quod hac ischiade peremptus ne-
mo nobis occurrerit; nunquam tamen dubiam mor-
bi sedem stabilivisse putavi. Eam enim & curatio-
nes talium ischiadicorum, ad hanc fidem feliciter in
hunc diem absolutæ, & morbi characterum sedula
consideratio, mihi aperte firmam evicere. Quæ si
me fefellerunt, felicissime sim deceptus: nec multum
optem, dum tanta curandi felicitas mihi stet, ab
innoxio errore liberari. Ego interim censeo qui a
sede doloris talium ischiadicorum, atque ab ejus ef-
fectis diligenter expensis (vi), ischiadici nervi passionem
non agnoscat, fabricæ corporis humani intelligen-
tem Medicum fore neminem. Nam quod sedem
doloris attinet, ea est talis, ut si velit æger ejus
decursum ab osse sacro ad subiectum pedem dito
commonstrare, næ ille, veluti Anatomes peritissi-
mus, succurrentis ischiadici nervi viam egregie perse-
quatur. Quod si potius HIPPOCRATES (b), ab
hoc tractu doloris, cruralis venæ affectionem arguerit,
excusandus ob tempora in notitia nervorum caligantia.
Et si PROSPER MARTIANVS (i), postquam
verum professi fuerant doctissimi viri IOANNES
RIOLANVS (k), atque FERNELIVS (l),
HIPPOCRATIS sententiam nihilominus est secu-
tus, ignoratæ sanguinis circulationi tribuendum. Cum
enim in quodam cœmentario, hac ischiade laborante, dum
a vehementia doloris afficiebatur, (quod per paroxismos
contic

(b) De Affectionibus Lib. I.

(i) Loco superius (d) citato.

(k) Enchirid. Anat. Lib. V. cap. 3.

(l) Pathol. Lib. VI. cap. 18.

contigebat) venas omnes, per exteriorem partem coxae laesae, & cruris, disseminatas, mirum in modum videret intumescere, remissoque dolore statim subsidere, ut ne vestigium quidem earum appareret; hunc venosum tumorem, morbificae materiae descensum in crus per venas manifesto probare judicavit. Qui si venis illis denegatam afferendi potestatem cognovisset; & vehementia doloris affectae partis musculos sic convelli (iv), ut extimas laxiores venas, expresso, diversoque, sanguine inflent; profecto intellexisset, hoc phænomenon nihil potuisse minus, quam sententiam HIPPOCRATIS comprobare.

VI. NEQUE positio tantum, tractusque doloris, sedem posticæ ischiadis nervosæ in ischiadicō nervo locandam esse demonstrant, sed & varii affectus, ab hac ischiade pendentes, idem comprobant luculentissime. Nam quæ pervicax adjungitur claudatio, muscularum femur crusque moventium labefacta officia ostendit: non diu autem solent muscularum officia labefieri nervorum potestatem liberam obtinentium. Accedens etiam semiparalysis offendorum nervorum documentum dat insigne: nam maccie solet comitari, quæ torporem membrorum ab longa segnitie pendentem, ab impotentia distinguit, quam læsi nervi progignunt. Itaque si nervi affectae partis in hac nervosa ischiade læsi sunt, nescio quâ possit dubitari, omnium nervorum coxam transcendentium, ischiadicum nervum, in quo dolor residet, caussam etiam doloris, ejusque effectuum insidere. In eo igitur nervo dolor est; in eo caussa claudicationis residet; ab ejus passione affectae partis semiparalysis, & tabes.

VII. TABES nunc autem memorata nolim ut confundatur cum *ischiatrica tabe*, quam in libro *de glandulis* indicavit HIPPOCRATES. Hæc enim totius

totius corporis est consumtio , quæ fit posteaquam humor erodens in coxæ acetabulum defluxit , idque insigniter ulceravit . Hectica namque febris , eo ex ulcere nata , corpus universum mortifere consumit . Quæ vero tabes nervosam posticam sequitur ischiadem , ea solas partes , dolore ischiadico pervalas comprehendit . Cum ea neque febris est , neque corpus reliquum compatitur , ut diutissime ferri intentatâ vitâ possit . Et nunc præcipue hominem habeo , tertium , & septuagesimum annum jam emensum , qui a longinqua nervosa ischiade postica , triginta jam pene annos , sinistrum crus insigniter macilentum fert , cætera sanus . Tantaque motus facultas eo est in crure relicta , ut baculo innixus gradum commode fistat . Quod ego puto ei potissimum obtigisse , quia temperi cæperit fluentibus hæmorrhoidibus laborare : quibus tertio quoque mense , vel in hac ipsa ætate , insignem sanguinis copiam egerit . Ulcerosa ergo , universalis , & mortifera est , atque ab arthriticâ ischiade pendet , ischiadica tabes dicta **HIPPOCRATI** : paralytica vero , & unius partis vexatæ , diurna eadem , nec vitæ minax , quæ nervosam ischiadem sequitur tabes . Hanc tamen , ut ab illa , **HIPPOCRATI** memorata , tabe distinguantur , *ischiadicam* potius *atrophiam* nominabo .

VIII. Si nervosæ igitur ischiadis posticæ sedes in ischiadico nervo est ; restat inquirendum , qua hic nervus caufsa laboret , qua in nervi parte caufsa illa persistat , ac unde derivet . Acris autem videtur , irritansque materia , quæ in nervum ischiadicum deposita ejus stamina pungat , caussam dare dolori . Neque dubium ullum est eam ipsam materiem staminum nervorum cavitatem non tenere , humore plenam , qui a cerebro descendat , nunquam in nervis , illæsô cerebrô , acri . Itaque nervorum stamina potius

potius intercedere , vaginisque cellulosis stamina ipsa ambientibus contineri videtur . Vnde vero isthac materia sit non facilis quæstio videatur . Quo enim ex fonte in nervorum vaginas humor potest derivari , acris cum eo ischiadis materia venire posse videtur . Fons autem ille duplex haberi solet . Etenim a spinæ cavo , unde ischiadici nervi prodeunt , nonnihil humoris in eorum vaginas influere posse creditur : & a minimis certe arteriis , quæ vaginas ipsas nervorum pervadunt , non pauca videatur vaporis quantitas accedere . Præstiterit ergo hujus humoris , qui nervorum ischiadicorum vaginas pervadat , fontem utrumque , curatius paullo , quam sit antea factum , considerare ; ut certo constet inde in nervum ischiadicum an acris materia dolorem efficiens possit descendere .

I X . P R I N C I P I O igitur sciendum est , spinæ caveam , quæ a magno occipitis foramine ad extremum usque pervenit os sacrum , per quam descendit medulla spinalis , præ reliquis animantibus datum homini amplissimam . Nam tanta est , ut non commodum modo medullæ transitum concedat , quod & reliquis animantibus est concessum : sed quamvis ea medulla homini sit plenior , cerebrumque imitetur , quo præstat cæteris animantibus homo , longe etiam spinæ capacitas tantam medullæ magnitudinem exsuperat . Itaque circa medullam , per spinam descendenter , spatiū superest insigne . Hoc superfluum autem spatiū totum liberum non est . Per ipsum enim descendit dura mater , quæ a magno occipitis foramine , in tubum conformata , vaginæ instar , usque ad imum os sacrum , spinalem medullam includit . Tubus hic autem duræ matris neque adeo est amplus , ut undique ambitum attingat circumpositi spinæ cavi ; neque tamen adeo est angustus , ut inclu-

clusam medullam proxime complectatur. Sed & a spinæ cavo aliquantum distat, maxime retrorsum, ad sedem apophysium spinosarum; & ab ambitu etiam inclusæ medullæ insigni spatio sejungitur. Quæ duo intervalla, cum integer est homo, vacua non sunt, sed quodque suâ repletur materiâ. Nam quantum dura mater a spinæ cavi parietibus distat, farcimine semper vidi celluloſo repletum, molli hoc quidem, fluentique, & pinguitudine sâpe diti; cuius vice, in tabidis vapor mucidus; mucus verus in hydropicis; sanguineus vapor in fetibus affuit, qui laboriosum ob partum suffocati perierint. Quidquid autem spatii est inter vaginam duræ matris, & medullam spinalis, id omne *plenum* etiam semper est: non medulla quidem ipsa in viventibus turgidiori, non nube vaporosa; quod, in re adhuc obscura, suspicantur summi Viri; sed *aqua*, ei quidem simili, quam circa cor continet pericardium, quæ caveas cerebri ventriculorum adimpler, quæ auris labyrinthum, quæ reliqua tandem complet corporis cava, libero aëri nequaquam adeunda.

X. **N**EC tantum hæc aqua complens ab occipite ad usque imum os sacrum tubum duræ matris, quo spinalis medulla vaginatur, undique medullam ipsam constanter incingit; sed & in ipso redundat calvariæ cavo, omniaque complet intervalla, quæ inter cerebrum, & duræ matris ambitum inveniuntur. Hæc autem intervalla sub cerebri basim semper aliquot occurunt (*m*): nec rarum esse solet ut inter reliquum ipsum cerebri ambitum, & circum positam duram matrem, insigne intervallum inveniatur. Quod in tabidis, & senibus solet in primis occurere. In his enim

(*m*) Conf. Sternutamenti physiologiam fig. I. 57, & sub 62, & 137.

enim cerebrum insigniter coarctatur , duriusque fit : quodque naturâ vix capere calvaria potuit , ætatis incremento , aut tabis vi , duratur , & sensim fit calvaria minus . Quantum autem magnitudinis cerebrum in his perdit , tantum a contactu subtrahitur duræ matris ; & quidquid loci decrescendo reliquit , aquosus vapor collectus totum adimplet . In tabidorum itaque , senumque cadaveribus , calvariæ fornice diligenter execto , sicubi jam illæsa dura mater circa cerebrum incidatur , aquosus rivus statim exsilit : quo exhausto , concidit dura in cerebrum laxa tota , & in rugas faccessit . Neque hoc tantum de cerebro , sed de ipsa etiam valet medulla spinali , quæ in senibus ac tabidis fit exilior , ac majoribus intervallis , aqua repletis a circumposito distat tubo duræ matris . Adeoque in hominibus hæc videtur lex obtinere , ut circa ambitum medullæ spinalis spatium aqua completum ætate crescat ; nam quod nullum est pene in fetu , cuius medullam , maxime in collo , duræ tubus integre capit ; ætatis incremento , in magnam amplitudinem evadit .

XI. TANTAM autem aquæ in spina , aut & circa cerebrum , collectionem , ne perviderent adhuc Anatomiæ , præposta eorum , atque vulgaris , corpora dissecandi ratio effecit . Cerebrum enim perscrutatur caput a cervice vulgo præfecant : quod cum fit , resciutto tubo duræ matris per spinam colli descendente , effluit humor omnis circa cerebrum collectus , medullamque spinalem , & inconsiderate perditur : apertâque inde calvariâ , inter cerebrum , & duram matrem , intervalla omnia , quæ pridem aqua replebat , vacua deprehenduntur ; imponuntque Anatomico inanum spatiorum specie , quæ forte dissipabilis aura vaporis impleverit . Vix tum enim intra foveas calvariæ basis , intraque præcipuos vaginales sinus du-

duræ matris (ⁿ) , nervos cerebri excipientes , minima ejus aquæ portio supereft , quæ pristinæ colluviei documentum exhibeat . Qua ipsa dissecandi pverfa ratione fit , ut , effuso humore circa medullam & cerebrum collecto , in ejus locum aër intret , relietasque ab humore sedes occupet . Quæ solet caufa esse , cur cerebrum intuentibus , sub membrana arachnoidea bullularum aërearum sæpe acervus occurrat , summam fulcorum cerebri partem occupans . Qui quidem acervus major , minorve est , pro majori , minorive , in subjectis variis , arachnoideæ , piæque membranæ , summis in fulcís intercapedine . Ad quas intercapedines , a basi calvariæ , ubi arachnoidea se in spinam demittens a piæ matris contactu quam ampliflisse fecedit , patentissima via est : per quam viam uti fulcorum cerebri humor , dissectò collò , facile effunditur , ita & se aër in humoris locum statim insinuat . Itaque nunquam aëreæ bullulæ sub arachnoidea iis in capitibus invenire solemus , quæ , adhuc integro conjuncta trunco , diligenter aperiuntur .

XII. Ut igitur possit tanta circa cerebrum , medullamque spinalem , humoris collectio manifeste observari , sequentia sunt tentamina diligenter instituenda . Cadaveris integri caput erigatur , dissectisque tegumentis , atque ossibus nudatis , horizontali sectione osseus calvariæ fornix separetur . In his autem initiis maxime cavendum est , ne dum scinditur os , aut a duræ matris nexu sejungitur , perforetur alicubi dura mater . Quæ , si integra servata sit , osse nudata , ubicumque incidatur , dum senis , tabidive fuerit eadaver , aquam effunder : fin minus , cerebro videbitur exacte repleta . Durâ autem subinde dissectâ , cerebrum nudetur : tumque sub arachnoidea quam nullæ

(ⁿ) Conf. de Aquæduct. auris humanæ internæ §. LXXV , LXXVI.

nullæ uspiam, quantumvis minimæ, aëris bullulæ occurrant (xi) apparebit. Lobis deinde cerebri anteriores suspensa manu elevatis, utraque ethmoidis cribrosa sedes scatere aqua observabitur: cerebrique reliqui elevatione apparebit, sub nervorum opticorum conjunctionem, adque latera protuberantiæ ovalis, quidquid in capitibus a collo sejunctis vacui solet inveniri, aquâ plenum esse. Quæ quidem aqua & sinum quinti paris vaginalem, & meatum acustum totum impleat. Circa caudicem vero oblongatae medullæ omnis intercapedo aqua completur: & si, caudice discisso, cerebrum, & cerebellum extrahatur, erigaturque totus cadaveris truncus, tubus duræ matris, quo spinalis medulla continetur, aqua medullam omnem circumcingente plenus exacte observabitur. Quibus jam peractis, si ab aliquot lumborum vertebris latera præsecta fuerint, atque inferior pars tubi duræ matris, caudam equinam complectentis, jam detecta, incidatur, humor limpidus effluet; pro cujus effluxu, qui circa summam spinalis medullam humor erat sensim descendet, donec per imam apertioñem totus effundatur. Quod si, capite integro, lumborum vertebræ aperiantur, inclususque tubus duræ matris incidatur, humor affatim emerget: ac postquam tanta humoris copia emersit, quanta ad locum incisum sponte descendit, si caput cadaveris attollatur, quatiaturque, versus locum apertum, quasi nova scaturigine reserata, vis aquæ uberior denuo redundabit. Quibus ego tentaminibus, in viginti pene adultorum hominum cadaveribus, vario tempore iteratis, quatuor, & quinque etiam aliquando, aquæ potui uncias ex spinæ cavo libere haurire: quam aquam limpidissimam frequenter in adultis, quamquam aliquando leviter ad flavidinem vergentem; in fetibus vero diffici par-

tu suffocatis, quantulacumque fuit, subrubram semper, atque opacam offendit.

XIII. Num hæc autem collectio humoris circa cerebrum, spinalemque medullam, in homine soleat post mortem inveniri, qui dum vivit vacua habeat illa spatia, aut vaporosa nube plena, turgidiori-ve medulla, non sine quadam veri spe videri posset dubitandum. At enim in vita vacuum suspi-
cari spatum, quod a morte humore plenum in-
veniatur neque verisimile est, & illa obstat naturæ
lex, qua semper constat, *Nusquam vacuum in animan-*
tium esse corpore, in quo quidquid libere exterior aër,
solidumve non replet, impletum humor. Nec si nu-
bes vaporosa, dum homo vivit, spatia illa teneret,
tanti esse videatur, ut densata post mortem eadem illa
spatia posset aqua completere. Accedit quod collecti
circa cerebrum, & spinalem medullam, veri humoris
præsentiam, quam in homine vivo dubitamus, viven-
tium quorumdam animalium dissectiones affirmant.
Variis etenim in piscibus aut vivis, aut statim a mor-
te dissectis, sed potissimum in testudine marina,
quam libras quindecim pondo æquantem nuper vi-
vam dissecuimus, cum pro calvariæ capacitate cere-
bri moles esset per exigua, ut a cerebri sede ad to-
tum undique calvariæ ambitum, multum spatii in-
tercederet; hoc omne spatum aquâ multâ comple-
batur, quæ circa medullam ipsam, spinæ cavum ce-
teroquin pene complentem, interserta apparebat.
Hoc tamen idem neque in vivis canibus potui, ne-
que in animantibus volatilibus comperire; quia in
his cerebrum, medullaque spinalis, tantæ magnitu-
dinis tum in vita, cum a morte inveniuntur, ut
cavorum, quibus continentur, capacitatem adæquent.
Hæc autem animantia si ad collecti vaporis præ-
sentiam confirmandam fuerunt non idonea, magno
tamen

tamen exstitere documento, cerebrum, medullamque spinalem, nihil a morte magnitudinis perdere. Quamquam qui in homine turgidiorem in vita medullam suspicantur, & toti implendo spatio circumposito parem, debeant etiam animadvertere ne origines nervorum a medulla ipsa enascentium, quæ per spatium illud explicatæ in cadavere decurrunt, complicatas vivo in homine velint, atque compressas. Quod igitur spatium circa spinalem medullam inventur, secundum naturam & est, & aqua impletur, & in cadavere nil pene habet varii ab eo, quod in homine obtinet vivente.

XIV. MIRVM autem videatur Viros Illustres, qui vaporem cavearum corporis humani magna sunt diligentia prosecuti, hanc spinæ insignem adeo, & fere principem caveam vaporis divitem præterivisse. Quem spinæ vaporem, uti & qui reliquas omnes humidat corporis caveas, ab extremis minimarum arteriarum constanter exsudare, ac per venas minimas inhalantes denuo resorberi, itaque in perenni statu renovantis esse, extra omne dubium positum videtur: nobis præsertim, qui alias evicimus experimento (*o*), vere quædam venularum duræ matris inhalantia oscula in ejus interna facie aperiri: qua de re hæsitaverat olim Illustris BOERHAAVII Nepos ABRAHAMVS KAAVIVS (*p*). Nullus attamen dubito; quod nuperrime accredidit Vir summus HALLERVS (*q*); his spinæ aquis eas etiam subinde commisceri, quas sive a majoribus cerebri ventriculis, per lacunar, & SYLVII aquæductum, sive a propriis exhalantibus arteriis, cerebelli ventriculus accipiat: cuius positio perpen-

B dicu-

(*o*) De Aquæductibus auris humanae internæ §. LXXXVI.

CRATI §. 611. pag. m. 273.

(*p*) Perspiratio dicta HIPPO-

(*q*) Elem. physiol. Tom. IV. Lib. X. Sect. II. p. m. 77, 78.

diculata, & via ad spinæ cavum satis patens, deflūxum humoris in spinam manifeste persuadent.

XV. NEQUE ad hanc miscellam aquæ ventriculorum cerebri, cum ea, quæ spatiū implet spinali medullæ circumpositum, evincendam, obstat indoles coagulabilis, quam ventriculorum aquis vulgo attribuunt, quæque omnino, per nostra experimenta, in spinæ aqua nequicquam est. Nam, si recte experimenta instituantur, ventriculorum cerebri aquæ indoles una eademque invenietur cum ea, quæ spinam occupat. Hæc autem spinæ aqua igni admota non concrescit. Quoties enim ex cadaveribus haustas binas, tres, vel amplius ejus aquæ uncias igni admovi; quod septies me fecisse coram in adversariis adnotatum invenio; semper ebullivit ea quidem, spumamque excitavit, odorem exhalantem juris carnium calentis odori persimilem; sed sensim in vaporem resoluta, absque vel minimo coaguli signo, evanuit. Quam sortem haustæ aquæ, quamvis, ut solent, paucæ, a majoribus cerebri ventriculis, constanter ostenderunt. Quibus in aquis jam hoc idem experimentum, non dissimili eventu, instituerat BELLINVS, qui cavitatum cerebri lympham concipere calorem facile vidit, & in auras evanescere totam, & vix sui vestigium ullum relinquere in vase, in quo ad ignem evaporat (r). Quod suis etiam BRUNNERVS confirmaverat experimentis; aquas enim ventriculorum cerebri, instituta evaporatione, cuticulâ obduci vidit, non tamen instar albuminis concrescere, sicuti alias lympha solet (s). Pariaque istis fuerant experti BOERHAAVIVS inde (t), ac nuperrime Vir

(r) De motu cordis prop. XII.
(s) De Glandula pituitaria.

(t) Præl. ad Institut. med. §.
CCLXXIV. Not. Tenuissimum.

Vir Illustris ANTONIVS DE HAEN (u).

XVI. Nec mihi videntur, in re manifesta, contraria aliquot vel non satis repetita, vel non rite intellecta experimenta, ventriculorum cerebri vaporem coaguli capacem exhibentia, haec tenus relatis Claris- morum Hominum, nostrisque experimentis, recte præferre posse summos Viros, ei principio innixos, quod cum aliqua experimenta succum aliquem coagulabilem faciunt, alia vero suadent evaporari, prioribus plus sit fidei præstandum; quoniam mors & putredo evaporabilem reddere humorem possunt, nullus vero casus coagulabilem reddat. Nam, qui computruere, olidi, turbidique humores sunt, limpidi nunquam, & inodori: limpidissimum autem, inodorumque, semper ventriculorum cerebri vaporem, cum hæc habui tentamina, selegi. Neque verum profecto est coaguli naturam, quam possideat, humorem animalem perdere posse, acquirere, cum non habeat, nunquam posse. Nam e contrario in animantium corpore, humor potius, qui non habeat, coagulabilem potest indolem facillime acquirere, perdere qui habeat, difficilime. Siquidem nullus humor eam indolem perdit, nisi putredine summa, cuius casus est perdifficilis, nec dum limpidus stet, ac inodorus humor potest adesse: acquirit vero concrescibilem naturam facillimis cauissis, & limpidudine servata. Ita ut si alia experimenta, limpido alicui humori, a sanguine jam secreto, concrescibilem naturam apertissime decernant, contra alia omnino negent; hæc, quæ negant, potius nativam humoris indolem ostendere credendum sit. Nam evasisse coagulabilis facile præter naturam, limpidudine servata, & inodorus permanens humor potuit; perdisisse coagulum, iis dotibus servatis, certe non potuit.

B 2

Quæ

(u) Rationis medendi Parte IV. cap. V. p.m. 216. Ed. Vindob. 1760.

Quæ res constat experimentis. Omnes enim aquosos humores ; qui a sanguine in quavis animantium cavea deponuntur , & secundum naturam coagulabiles non sunt (xviii) ; sæpiissime vidi coagulabilem indolem sine ulla insigni perturbatione acquisivisse . Quam rem si exemplis velim singillatim ostendere præclare video duo mihi fore invitissime facienda : primum ut ad hunc locum quædam transferam experimenta, quæ jam alteri labori opportunius destinaverim : alterum ut ab Hominum doctissimorum placitis , quæ maxime sequi velim , atque potius ornare , cogente natura , videri debeam dissentire . Faciam autem utrumque ne veritatis honori quidquam videar detraxisse . Itaque ostendam in humano corpore omnes humores , qui secundum naturam a sanguine secreti coagulari non possent , coagulabilem indolem facilis solere caussis , & absque gravi perturbatione frequenter adipisci . Incipiam autem ab urina , quam nemo ignoret coagulabilem non esse ; & ea tamen in quibusdam , quæ protinus adscribam , experimentis visa est nobis coagulata .

XVII. MILES erat stationarius annorum duodetriginta , qui per multam æstatem udissimas , mollesque Bajas tutatus erat . Circa finem sextilis quotidiana intermittente febri ibidem est correptus , quæ quinto post die in aquam intercutem mirifice erupit . Ad hoc nostrum Incurabilium Nosocomium inter initia septembris translatus est , nostræque commendatus curationi . Ægrum hoc tempore , præter aquosum enormem universi corporis tumorem , quotidianis accessibus adhuc febris premebat : hydrops autem sub accessibus crescere in dies videbatur . Alvis erat sicca , fitis nonnulla , lingua albido muco obliterata , animi dejectio summa , urinæ paucissimæ . Itaque febrim , ut quæ hydropem fecerit , augeretque , primum esse

esse profligandam , mox relictum hydropa curandum constituimus. Primo igitur die ex radicis ipecacuanhæ drachma emeticum datum est , excussurum , edeturumque , id quod primis in viis , febris fomes , adesset : hōc autem mucosa aliqua bile imbuta egesta sunt , alvusque bis mota . Sequentibus diebus doses aliquot peruviani corticis ingestæ , adjectō rhabarbarō : sic , alvo soluta , febriles accessus recessere. Relictus autem , profligata febre , hydrops . Hic vero primum drachmā pilularum scilliticarum singulis diebus vespere exhibitā , sassafras decoctione superpotā , ad urinas proliicias , curari cœpit . Sed multos post dies pulsus constanter frequentiores facti videbantur , alvus quidem paullulum citior , sed urinæ paucissimæ profluebant , & tumor hydropicus ultro crescere videbatur . Tunc primum feror ad credendum , tantum hydropem , quem primo febris impetus excitasset , acribus diureticis vitæ vires augentibus , atque adeo veluti febrim redintegrantibus , per nos potius auētum iri . Quod cogitatum adeo sum postea in hujusmodi casibus verum expertus , atque proficuum , ut non aliunde profluxerint secundæ quædam hujus hydropis curationes , quas forte aliquando opportunius explicabo . In hoc itaque casu placuit tartari cremorem , cuius effectus in provocanda urina , sine insigni pulsu acceleratione , aliis experimentis compertos haberem , potius trahere ad usum . Cæptum est mane ad unciam dimidiā quotidie dari , multa chamædryos decoctione solutus . Quo remedio sic urinarum auēta copia est , ut , non facili exemplo , decem , duodecimve saturæ urinæ libras in singulas noctes æger excerneret . Cum autem , ut æger ipse fatebatur , potus esset longe paucissimus , erat indubium , enormem illam urinarum copiam collectis aquis hydropa facientibus potissime detrahi . Quod etsi corporis tumor , manifesto de-

crescens, testabatur; placuit tamen, ad ignem admotis urinis, rem certo experimento definire. Qui enim ex cadaveribus tali hydrope confectionum, aquas intercutes plurimum materiae coaguli capacis continere pernoveram, in spem veni fore, ut si tales aquas per urinæ vias æger excerneret, coaguli materiam, qua scaterent, essent ad ignem ostensuræ. Quæ res, ut præceperam, experimento comperta. Nam duabus libris ejus urinæ ad ignem admotis, cum penne dimidium evaporasset, reliquum faceſſit albam in massam, tenerimo jam coacto ovi albumini persimilem. Idque stetit experimentum donec uber ille urinæ fluxus perſtitit; quod & ipsi auditores, qui frequentes priori affuerant experimento, idem ſæpe retentando, ſunt experti. Neque tantum in auctis hydropicorum urinis, ſed in illis etiam, quas excreverint diabete correpti, hanc urinæ naturam coaguli materiam ad ignem exhibentem, quamquam non adeo inſignem, pari tentamine non ſemel comperimus. Primum itaque conſtat, urinas, quas in fani nemo coagulabiles invenerit, quandoque poſſe coaguli materiam continere.

XVIII. NEQVE tantum urina, humor ad coagulum non natus, viſa eſt nobis aliquando coaguli materiam habuiffe, ſed vapores omnes, qui in caveis exhalant corporis humani, ſecundum naturam coaguli non capaces, ſæpe etiam morbi vi eam ipſam materiem oſtenderunt. Quod ego cum aſſero præclare video eos omnes contra nos insurrecturos, qui coagulabilem in dolem vaporis interni ſecundum naturam eſſe existimant. Quos tamen omnes, pro eo quo veritatem proſequuntur amore, velim oratos, ſuum ut judicium paullisper ſuſtineant, donec & id aperiam, quod plurimis natura nos docuit experimen- tis, & ipsi per ſe cum cura iterum, iterumque, in na- turam inquirant. Nam ut docti, ingenuique ſunt, mi- nime

nime vereor ne non brevi mecum profiteantur , vapores omnes in variis quibusque corporis caveis exhalatos, secundum naturam coagulari non posse: & si quando coagulentur , præter naturam coagulari. Quod cum jam de eo, qui spinam occupat, cerebrique ventriculos, ostenderim (xv) ; reliquum est ut de pericardii , ac pectoris, de abdomenis, ac vaginæ testium humore confirmem. Humor autem pericardii, quoties limpidus atque exiguus , idest secundum naturam, invenitur , igni expositus integre evaporat, nec ullam sui partem coagulatam ostendit. Quod pluribus experimentis mihi constanter est compertum ; quæ non tantum in hominibus sæpe institui , sed quinques etiam in vivis canibus. Quinimo in novimestri etiam fetu ; a quo puros aquosos secretos humores non expectes ; cum sanguinei vaporis pene unciam pericardium contineret; vapor hic expositus igni , si paucam excipias crassamque spumam , carnium ebullientium spumæ persimilem , maxima pars reliqua prorsus evanuit : ut satis videretur crassamentum illud ab humore rejetum, ex sanguine intermixto originem traxisse. Ex fetu autem altero semestri , cuius pericardium vaporis sature flavi drachmam continebat, expositus vapor ad ignem , sensim in lentam , muco tamen , non coagulo, similem, massam facebit. Ex vivis autem canibus, in hunc finem dissectis , pericardii vaporem quoties detraxi, atque ad ignem exposui , toties prorsum in auras, sine ulla vel levi crustæ specie residua , visus est evanuisse . Qualia ego in viventibus instituta experimenta uti plurimi facio , sic ad rem definieram maximopere inculcem : siquidem in genuino pericardii humore, ac labis non suspecho, quæ utcumque obstare in cadavere morbido potuisset , instituta . Nec me LOWERI (x) , aut LANCISII (y) ,

KAAVII que (z) movent documenta, quæ videntur afferere coagulabilem indolem humoris, quem complectitur pericardium: nam natura quem doceat vel hominum clarissimorum documenta despectet, quorum auctoritati, si naturæ desit testimonium, censeantur ineptissimi. Quod si pro nostris experimentis expertorum auctoritas non sufficiat, requiraturque potius testimonium expertorum, unus mihi sit omnes MALPIGHIVS, qui pericardii vaporem, *in bove præcipue, levi ignis calore evaporare, & tenuissimam tantum crustam relinquere etiam vidit: quique uncias quatuor ejus humoris, in sartagine super ignem expositas, evaporasse ante dimidiā boram, absque evidenti, & alta, ebullitione observavit; relicta gracili crustâ subrubrâ, quæ interdum carnis elixæ odorem referret* (a). Quæ nostris tam similia MALPIGHII experimenta, miror potuisse KAAVIVM & longe mutatis, perversisque verbis recensere, & ad robورandam sententiam afferentium coaguli capacem indolem humoris pericardii, sine ulla prorsus hæsitatione traducere. Quasi ad decernendam coagulationem humoris satis sit si, postquam omnis evaporavit, *tenuissimam in fundo vasis, gracilemve crustam relinquat.* Qualem crustam lentescens etiam aqua simplex evaporata relinquit, nedum ea quæ a sanguine sit secreta, quam purissimam expectare hominis effet sanguinis, & aquæ naturam oblii.

XIX. PECTORIS item vapor, si parcâ etiam copiâ, & purus est, æque ad ignem totus evaporat, parem ut reliquis aquosam naturam præferat. Quod etiam imi ventris vapor ostendit: in quo longe frequentius, ut qui sæpius, quam pectoris vapor, colle-

ctus

(z) Perspiratio diæta HIPPOCRA- (a) De structura glandularum
TI n.741. pag. m. 316, 317. conglobat.p.m.7. ed.Lond.

Etus occurrat, instituere potuimus experimenta. De hoc tamen abdominis vapore semper nobis institit suspicio, num coagulum respueret, quod natus aquosus coaguli impatiens esset, an quod halitu potius intestinalium fœcum putredinoso; quo, ob gravem odoris notam, & nonnihil laetæ turbulentiae, videri solet imbutus; coaguli capacem indolem in cadavere perdidisset. Hanc tamen est visus dubitationem exemisse vapor ex viventium canum abdomine desumtus; qui & limpidus, & recens, & fere inodus, ut labem nullam videretur contraxisse, igni expositus, sine ullo discrimine totus evanuit. Quæ fors testium etiam vaginæ vaporis contingit: in quo tamen incauto facilis potest esse occasio errandi. Nam testium vagina, quæ guttulas aliquot continere vaporis naturâ confuescat, quæ si igni admoveantur prorsus evanescant, ubi paullulum majori vaporis copia scateat, fere tantum materiæ coaguli capacis ad ignem ostendit, quantum confuetam vaporis quantitas excessit. Quam ob rem contentus humor in vaginæ testium hydrocele magnam partem ad ignem solet coagulari.

XX. NEQUE tantum coaguli materia vaporis vaginalæ testium præter naturam adauerto solet immixta inveniri, sed nullus est neque spinæ, neque cerebri, neque pericardii, aut pectoris, abdominisve vapor, qui, cum copia excedit, similem materiam frequenter non exhibeat. Quæ res adeo est in promptu, ut sæpe in uno eodemque subiecto, vapor ab altero pectoris latere collectus ad ignem evanescat, cum ab altero desumtus, in quo copia redundet, coaguli plenus inveniatur. Divitem autem coagulabili parte vaporem non copia tantum incongruens loci naturæ demonstrat, sed novus etiam color ostendit: saturus namque flavo vapor est, longeque a pura distans decoloratione aquosa, cum coaguli materiam habet immixtam. Immiscetur ei vero sem-

semper præter ordinem naturæ : itaque vapor , coaguli materia dives , morbosus est. Sic patientibus hydrocephalon solet cerebri , & spinæ vapor coagulo imbui ; in pectoris hydrope collectæ aquæ coagulum excipiunt ; nec minus illæ , quæ sive pericardii , sive abdominalis , aut vaginæ testium hydropa constituunt. Ut sit certe inquirendum , cur corporis humani caveas secundum naturam exiguus aquosus vapor humectet , qui coaguli materiem habeat , quoties redundet , flavescatque , immixtam . Quæ tamen res , nisi originem vaporis secundum naturam exposuero , apparere non poterunt .

XXI. VAPOR autem sanguinis est soboles . Sanguis vero quem cor alterno iectu urget per arterias in corpus universum , liquor est triplici partium ordine constans ; altera namque pars est rubra , quæ innumeris anulis fit minutulis , quemadmodum coram docuere nos Cll. DE TURRE (b) experimenta : subflava altera , quæ concrescat ad ignem : tandem & mere aquosa . Quam partium varietatem sanguinis officia postularunt ; destinatur sanguis enim ad omnes nutriendas corporis partes , easdemque fotas flexilesque servandas . Et nutritioni quidem unice facit serum , quod coaguli capax est ; hoc enim secundum naturam vernici persimile solidis partibus animantium facile adhaerescit . Hæc sanguinis autem vernix insigniter fluxilis est servanda ; neque aliter enim is glutinosus humor ad singula posset corporis puncta , nutritionis indiga , per vascula perangusta , pervenire . Fluxilisque servatur partim calore , quem anuli rubri solidiores immixti rapido motu progignunt , qui que humorem vernici similem facile colliquat ; partim

(b) Confer ejus Epistolam ad NOLLETUM : & nuperius opusculum , quod inscribitur ,

Nuove osservazioni intorno la storia naturale. Neap. 1763. Tom.I. cap.IV. n.66, & sequ.

tim aquâ intermixtâ , quæ adhæsionem solidarum partium interjecta diminuit , & ut impedit densitatem anulorum serique sanguinis , sic solidorum omnium , ad quæ ducitur per arterias , flexilitatem adjuvat . Ita altera pars alterius adjuta ministerio egregium illud animalium liquidum conficiunt , quod ubi ad ultimos innumerabiles pervenit arteriarum ramos mirabili artificio distribuitur . Nam minimæ arteriæ omnes in ramos dissipantur exilissimos , quorum terminus est triplex : alii enim continuo tractu in sanguiferas venas transeunt ; hi capaciores : alii in lamina rum cellularium interstitiis ultima extremitate aperi ti desinunt ; hi magis angusti : alii tandem angustissimi in libera superficie aut cavearum corporis , aut cutis , extremitate aperta terminantur . Itaque san guis , ubi hos terminos arteriarum attingit , per ramos latiores , qui perferunt ad venas , integer , ac veluti toto corpore , transit ; dum ad ramos minores , qui desinunt in spatiis cellulosis , ferosa pars aquosæ immixta divertit ; & in ramusculos , in superficie partium desinentes , pars aquosa , tenuissima omnium , & iis angustiis par , uice penetrat . In quo partium discessu nihil sanguis omnino perdit , nisi parum aquosi ; nam venæ sanguiferæ primorum ramorum sanguinem resumunt ; lymphaticæ inhalantes secundiorum ; humor autem ramorum tertii ordinis integrè evaporat . Et hic vapor si aëri exposita superficies partium est , fumi specie avolans dissipatur : talis insensibilis perspiratio est cutis universæ , narium , faucium , oris , pulmonum cavi : si vero partium superficies caveâ est inclusa , coercitus repagulis in aquam adunatur ; talis origo est aquæ ca vi spinæ , ventriculorum cerebri , pectoris , pericardii , abdominis , vaginæ testium . Ubique est igitur perspirabile idem sive externum sit , sive internum :

ternum : cuius a sanguine discessus necessarius est , & ad plurima utilis . Præcipue vero ubi serum coaguli capax partibus nutriendis est aptandum ; quod ultra extrema quamminima vasa semper fit ; nam aliquem ibi aquosæ partis discessum pati optimum est ; siccus fit enim , adhæsionique paratus ; & aqua divertens vel intrinsecus vaporat & lenit , mulcetque , & a coalitu defendit partium superficies ; vel extrinsecus emergit , mollitque aëris vias , & cutim .

XXII. Et secundum naturam hæc est origo vaporis , quem emitit ubique corpus humanum : qui si parcus ac tenuis , neque coaguli particeps invenitur , vasorum per quæ prodit angustiæ tribuendum . Si enim ampliora excernentia essent vasa , ac naturâ solent , copiosius aquam , unaque crassius serum , & coaguli capax facile trajicerent : uti reapse trajiciunt cum , auctis vitæ viribus , præter modum distenduntur . Sic incitato cordis , arteriarumque , motu cutis universa sudorem emitit , cuius multa pars coagulabile serum est ; cuius rei indicio est tenax , duraque macula , similis illi , quam appingit aqua iethyocollæ particeps , in indusis a sudore relicta . Sudat similiter iisdem ex caussis pulmo , sudant fauces , nares , os : cuius sudoris materia est , frigore densata , quam reddunt catharrhos . Ex eademque caussa sudant partes internæ , quæ tamen , quôd a frigore tutæ sunt , liquidum serum servant , permixtumque vaporis . Ea est autem animantibus lex numquam ut cordis vires , nisi in statu machinæ violento , sudare vasa cogant . Semper igitur sudat vas , idest , præter naturæ ordinem , crassiorem lympham & coagulabilem ejicit , cum vi majori consueto distenditur ; quam vim infert sanguis appellens , qui solito copiosior fit , aut impetuofior . Itaque vasa plenitudine sudant , sudant cum inflammantur : sic pulmonem inflatum crustâ obduc-

Etum

Etum s^epe vidimus corio pleuritico persimili; inflamatum pericardium crustâ undique cum corde investitum polyposâ invenimus; & vaginæ testium hydrocele, cuius aquæ coagulantur, solet testis inflammatione præiri. Tantum igitur est facile vapores collectos intra corporis humani caveas coaguli materia imbuī, quantum facile est sudare vasa intrinsecus vaporantia: quod æque tam est facile, quam cordis motum accelerari, & sanguinis cum eo impetum, vasorumque extremorum dilatationem. Idque cum semper fiat quando aut febris magna est, aut vehementes machinæ motus præcessere, ratio est in promptu cur magna febri, aut suffocatione, extinxitorum animantium s^epe imbuti vapores coagulo inveniantur. Et cur in bobus, quos, anteaquam occidant, s^epe multo laniones, magnoque cursu fatigant, pericardii vaporem *concretae* similem *gelatinæ* deprehendere potuerit LOWERVS (c). Itaque eorum, qui magnis febribus extinguntur secundum naturam vapores non sunt; neque post magnos cursus animalium vapores interni inveniuntur puri. Experiri igitur volentibus num, ut antea (XVIII, XIX) ostensum est, vapores interni coaguli sint expertes, auctor sim, ut vel vivum brutum animal aperiant, vel hominum repentina exstinxitorum, quod ipsi attendere solemus, cadavera perlustrant. Sic itaque concludamus, quidquid in sanguine coaguli capax est, aptumque partium nutritioni, numquam, in sano statu, per vias vaporem emittentes effunditur: servat id natura, non perdit: & quoties vapor coaguli materia scatet, impurus est, & sudore interno præter naturam imbutus: purus autem, & coaguli capax secundum naturam nullus vapor est. Estque perutile lym-

pham

(c) De Corde cap. I. p. m. 7. Ed. Lugd. Batav. 1740.

pham coagulabilem cum vapore naturaliter non effundi : effusa enim nutritioni corporis detrahitur : & , quod magis noxium est , partium internarum superficiebus accrescit , quas & crustat , & saepe contra naturae ordinem colligat . Nec morbosa illa ligamenta , quae sive pulmonem pleuræ , sive pericardium cordi , post harum partium inflammationes , revinxisse frequenter observavimus , aliam originem obtinuere . Condonent ergo doctissimi Viri , qui serum coaguli capax humoribus accensent , qui a sanguine , ut ajunt , secernuntur , argumento innixi vaporum internorum , quos secundum naturam coagulari posse perperam crediderunt , si expunctum velle dixerat a serie humorum secretorum a sanguine serum potens coagulari .

XXIII. HACTENVS probatum est vapores omnes corporis humani , secundum naturam coagulari non posse , coaguli materia tamen praeter naturae ordinem posse imbui . Cum contra nulla sint exempla , quibus possit ostendi , humores alias coaguli capaces puritate superstite , eam naturam perdisse . Itaque constat , experimentis limpidum aliquem humorem coaguli expertem demonstrantibus magis esse fidendum , in ejus qualitate secundum naturam pernoscenda , quam coaguli materiem in eodem exhibentibus (xvi) . Nam coaguli adeptio morbosus est , & facilis , fitque humoris limpiditudine prope servata ; amissio perdifficilis , & puritate superstite numquam observanda . Quod igitur spinæ vaporis coagulari nihil possit , nullimode obstat , quo minus ventriculorum cerebri vaporem , impotem etiam coagulari , habere queat immixtum (xv) .

XXIV. NV M descriptus (ix) autem spinæ vapor vaginas nervorum a spinali medulla enascentium penetrat ; ut quemadmodum toti medullæ , sic enatis inde
ner.

nervis , & per corpus decurrentibus , balineo & fotti sit , restat ut diligenter inquiramus . Mihi & nervis inservire non omnino videtur improbandum . Singulos enim nervos a spina prodeentes , appendice quadam , infundibulo simili , laxaque instar vaginæ , excipit tubus idem duræ matris , quo spinalis medulla continetur ; eaque vagina nervi libera comes est , donec jam jam exiturus a spina , ganglion nervus efficit . Itaque , quum cavea vaginalium omnium spinæ nervos excipientium continua caveæ sit tubi duræ matris medullam spinalem complectentis , eodemque vapore perpetim repleatur , ad ganglion usque suum singulos nervos spinæ vapore foveri manifestum est . Dubium itaque restat an etiam ultra ganglion . Vagina enim singula duræ matris , haec tenus patula , circa ganglion vehementer adstringitur : inde vero in cellulosas laminas evanescit , quæ partim undique nervum complectuntur , partim singula etiam nervosa fila obvestiunt . Via igitur ultra ganglion transituro vapor i videtur impedita : quam tamen aëne , hydrargyrumve trajiceret , volui- mus experiri . Trajecit autem utrumque . Nam impulsus aër per tubum patulo vaginæ ostio citra ganglion applicatum , ganglion superavit ; eoque vaginæ omnes , nervum ultra ganglion vestientes , protinus intumuere . Eademque viâ injectum presumque hydrargyrum ganglii angustias transfilivit , in que ipsas cellulosas nervi vaginas penetravit . Quæ tentamina in iis potissimum nervorum vaginis instituimus , quæ nervos in ischiadicum truncum coali-turos extra spinam perducunt . Et quamquam aëris , & hydrargyri , transitus ultra ganglion non sine aliqua pressione potuerit obtineri , levis tamen ea pres-sio fuit , aut certe non tanta , quæ obstaculum ar-gueret , quod per se in homine vivente spinæ vapor ,
absen-

absente pressura, superare non posset. Si vero cogitetur vaporis spinæ puritas, & indoles aquosa, longe penetrantior aëre, ac hydrargyro; unaque in vivente quam sint viæ trajiciendæ laxiores, & humor trajeturus calore penetrantior; ratio sufficiet, cur non possit omnino eorum sententia improbari, qui spinæ vaporis beneficio, etiam ultra spinale ganglion, nervos existimant gaudere.

XXV. Qv o d si hujus spinæ vaporis coaguli capax natura constitisset, & non potius ad ignem nullimode concrescens (xv), nunc facile assentiter summis Viris, qui M A L P I G H I U M (d) opinantur, quum *incisō tenui nervulō binc inde per caudam bovis excurrente, ac ungue compresso, humorem glutinosum terebintinæ instar expressit*, hunc spinæ vaporrem, vaginas nervorum percurrentem, eliciuisse. Nunc autem alio ex fonte is glutinosus humor repetendus, cui videtur parem in nervo jamdiu secto H E I S T E R U M (e) etiam observasse; qui *facturus in cane experimentum, nervum, nescio quem, vulneravit; quo facto, canis postea convulsionibus misere torquebatur. Post tres autem circiter menses, in eodem cane dissecto, ubi vulnus illud antea inflictum fuerat, veluti glandulosam concretionem reperit insignem, quam a succo nervoso è nervi punctura emanante ortum suum habuisse* putavit. Et quamquam certe pigeat quem nervum vulnerarit nullimode H E I S T E R U M meminisse; & suspicio valere possit tendinis pro nervo vulnerati: ne peritum tamen hominem negligentiæ insimulem, & ut aliquid secutis convulsionibus tribuam, quæ nervo potius, quam vulnerato tendine nasci solent, hoc quoque experimentum ad evincendam in

(d) Oper. posthum. p. m. 27. ed. Ven.

(e) De Rachitide.

in nervis glutinosi humoris præsentiam non ineptum
judicetur. Hujus autem humoris dum in nervis du-
bitari existentia non potest; quandoquidem nobis etiam
M A L P I G H I I experimentum repetentibus manifeste
occurrit; est tamen origo, quæ a spina esse non pos-
sit, alicunde repetenda. Hanc **M A L P I G H I U S**, &
H E I S T E R U S a cerebro deduxerunt; adeo ut verum
nervorum succum, per fistularum nervosarum cavum
naturaliter decurrentem, gluten illud esse judicave-
rint: perperam, ut opinor, uterque; nec rectus sua-
rummet observationum interpres, quod mirere, **M A L**
P I G H I U S. Nam qui expressis iisdem nervis in
primo exortu a spinali medulla, cum vaginam duræ
matris nondum essent (xxiv) adepti, glutinosum il-
lum humorum occurrere non vidit, qui, vaginis ac-
ceptis facile prodiret (f), intelligere debuisset, non
tam *ob mollitiem*; quam certe non tantam illo in
exortu nervi habent, ut *compressi lacerentur*; quam potius
ob defectum vaginalium, glutineum humorum reddere
nequivisse. Accedit quod discissa vivi canis spinalis
medulla; per quam verus a cerebro nervosus humor
descendit, ac transit in nervos; mihi sit visa e se-
de diffusa humorem emanare mere aquosum, ac fa-
cile dissipabilem, non lentum, & concrecentem:
quod jam proprio experimento vidi etiam **B O E**
R H A A V I U S (g). Hancque veri nervosi humo-
ris a cerebro in nervos descendens indolem esse
aquosam, & coaguli impotem, præter hæc experimen-
ta & ratio suadet, & illa etiam, puto, manifeste
evincunt, quæ in cane instituit, ante hos novem an-
nos, singularis eventi experimenta **C I. M O L I N E L**
I U S (h). Qui ex cellulis diu ligati octavi nervo-
rum paris, in quas verus videbatur cerebri humor

C : descen-

(f) Loco proxime citato.

(g) Præl.ad Instit. §.CCLXXIV.

(b) Bononiensis Academiæ Com-

meht. Tom. III. p. m. 282.

descendisse, non quidem glutinosum, sed *tenuissimum* elicuit, *albicantemque liquorem*, & *citissime evanidum*. Igitur humor, quem pressi nervi promunt concretionis capacem, cum neque a spinæ cavo, neque a cerebro esse possit, quam habeat originem restat inquirendum.

XXVI. HÆC autem origo apparere non poterit, nisi veram antea ejus humoris sedem definiamus. Et quidem concrescibilis ille humor non in fistulis nervosis, quarum cavum opinor nemini visum, sed in vaginis cellulosis nervorum filaments complectentibus contineri videtur. Quam ego rem didici, postquam aliquoties nervos illos, aut suppares diligenter expressi, quos **M A L P I C H I V S** edixit. Ita namque vidi evadentem illum humorem inter nervum vaginamque patentissime pertransire. Quem ipsum attamen transitum potius per *fistulas nervosas*, quam per vaginas esse, fortassis festinanter, **M A L P I C H I V S** affirmavit; nam si fistulas illas, quoad effici potuisset, vaginis exutas voluisse exprimere, nihil protinus glutinei, ut quidem in nervis nondum spinam egressis (xxv) observavit, potuisset elicere. Potest itaque tuto jam disquiri undenam hunc humorum accipiant nervorum vaginæ: & vero cum neque a cerebro habeant (xxv), neque a spinæ cavea (xv), restat ut a propriis illis arteriis accipiant, quæ vaginas omnium nervorum solent percurrens; quæque, ut in reliqua interstitia cellulosa membranæ (xxi), nervorum etiam in vaginas humorum concrescere aptum vaporis immixtum eruant. Amplam hanc enim vaporis viam ostendit aqua tepens, quæ injecta in cruralem arteriam, uti reliquam cruris cellulosa membranam, sic nervorum vaginas patentissime invadit. Quibus in vaginis, donec animal vivum, calidumque est, quidquid illius humoris emanant arteriæ fluidissimum esse puto; lenitus a morte, & frigoris accessu glutinosius fieri. Re-

nam-

namque ipsa nervi in vivis animantibus, actuve calentibus, expressi, aquosum ex vaginis humorem, non glutinosum, dant: ex frigidis demum nervis jam glutineus elicetur. En igitur demonstratum duos esse fontes unde in vaginas quorumcumque nervorum derivet humor, calvariæ, aut spinæ cavum, propriaque ipsarummet vaginalium arterias: & illinc pauculum & aquosum mere; plurimum ex arteriis, & partim concrescere aptum humorem vaginalis imperfici. Nunc quando in hoc humore, qui nervorum etiam ischiadicorum vaginas pervadit, caussa illa posticæ ischiadis nervosæ dolorem excitans residet (viii), quomodo hic nervosarum vaginalium humor dolorem ischiadico nervo inferre possit inquiramus.

D O L O R E M autem potest inferre, vel quia copia excedens vaginas, nervumque conclusum immane imbuat; vel quia redditus acer nervum pungat, ac irritet. Vtrumque videntur enim edocere, atque definire, experimenta. Siquidem vidi; quod est etiam ab **H I P P O C R A T E** (i), & **CÆLIO AVRELIANO** (k) deprehensum; suppresso hemorroidum, uterive, fluxu sanguinis consueto, lacte etiam lochiisve reprefisis, posticam ischiadem nervosam supervenisse: quibus ex caussis non pravitas humorum, sed redundantia videtur fecisse ischiadem. Validos item iectus coxa exceptos, aut nimias in ponderibus elevandis coxarum distractioñes, posticam vidi pariter ischiadem nervosam excitasse. Quæ caussæ stimuli vi in coxae nervos copiam majorem sanguinis videntur attraxisse. Sed etiam observatum quamplutimis rheumatico vi-

C 2 ru,

(i) Popularium Lib. V. num. XXXIII. in Polemarchi uxore p. m. 793. Tom. I. editionis LINDANI.

(k) Morborum Chronicorum Lib. V. Capit. 1. p. m. 547. Edit. AMMANNI Amstæl. MDCCXXII.

ru, venereo, vexatis, ut plurimas alias corporis sedes, ischiadicos etiam nervos pertinaciter indoluisse: habeoque exempla numerosa post ulcera diuturna penitus occlusa, nervosam hanc ischiadem per pessorum. Quæ videntur documento, ex infecto jam sanguine, pravum vaporem nervorum ischiadicos vaginas retulisse. In aliis saepe vidi ob frigus immodicum, crure, coxave receptum, eamdem ischiadem esse natam: in quibus nisi dicas sanum antea vaporem vaginalium ischiadici nervi exteriorem illam caussam depravasse, unde repetas ischia dem, caussam desideres.

XXVIII. CUM adeo vero ex facili soleat accidere, ut quæ maxime caussæ vel augendo vapore, vel asperando sunt aptæ, tot alios prætereant nervos corporis humani, ischiadicos autem, dedita velut opera, & graviter impetant, & pertinaciter occupent; non immerito quæri posset num nervorum ischiadicorum vaginalæ peculiarem aliquam habeant dispositionem, cujus maxime caussa in eas noxas frequentius, & gravius incurrit, quibus cæteri fere nervi sunt immunes, ut e sanguinis massa redundantem vaporem, acresque particulas suscipiant, & exterioribus caussis adeo graviter afficiantur. Et mihi quidem plures videntur habere: quarum est certe princeps laxitas, & amplitudo, quæ nervorum ischiadicorum exterioribus vaginalis tanta contigit, quanta, quod sciam, nulli alii nervo corporis humani. Notum namque est, ischiadicum nervum multiplici origine a spina prognatum post majorem femoris trochanterem in unum truncum coalesce re, quo non major nervus toto in hominis corpore invenitur. Hoc autem in trunco quatuor, vel quinque radices, separatim a spina venientes, uniuntur, quæ non fila nervosa modo, sed & vaginalis suas

suas omnes in unum conjungunt. Et hæ quidem vaginæ , quas dixeris nervo originarias , nulla supervacua laxitate laborant: quin imo , nervo , quem includunt , semper aptissime adstringuntur. Laxitas autem , quam nimiam afferui , novis quibusdam aliis inest vaginis , quæ facto jam ischiadici nervi trunco tandem superveniunt. Eas adjicit cellulosa membrana , quæ occurrit copiosissima , & magnis laminis dives , ubi primum nervus in truncum coalescit: ea vero , ut vidi ad hunc diem , solet pinguitudine carere. Laminæ autem hujus membranæ quamquam potius necessario officio , quod nervi trunco per sui medium transvadenti præstare debent , quam destinatâ fabricâ , atque decursu , vaginas nervo dant : adeo tamen affabre transcendentि nervo saepe accommodantur , ut ad eum vaginandum , non tam loci necessitate conferre , quam præfinito fabricæ consilio positæ ibi esse videantur. Siquidem quandoque vidi ; quod & coram in sinistro ischiadicō nervo in viri cadavere contueor ; has extimas vaginas ; quas possis *accessorias* appellare ; infundibuli formâ recens conflatum nervi truncum excipere ; & hinc summo infixas trochanteri , illinc marginato veluti orificio descendenter nervum inhiare , exceptumque continuo usque in crus comitari . Estque præsens vagina adeo elegans , ut scalpelli manubrio inter nervum , vaginamque versato , veluti ensis laxa vagina exceptus , ischiadici nervi truncus videatur.

XXIX. ADJVVAT hanc nativam extimarum vaginalium ischiadici nervi laxitatem adsitorum muscularum non satis proxima pressio : qui musculi protectum præcipue trochantere majori , veluti ponte , nervi truncum vix leviter solent attingere. Qua constanti laxitate quantum hæ vaginæ excipiendo vaporis

quem arteriae exhalant (xxi), in homine aptae sint, quantum excepto in se ipsis retinendo peridoneæ, neminem arbitror non videre. Ad hæc, arteriarum istas ischiadici nervi vaginas percurrentium magnitudo est tanta, quam non aliis ullis vidi forte datam reliquorum nervorum vaginis. Facit hæc autem magnitudo vaporis fontem uberiorem. Quam ob rem numquam vapore vacuas vaginas illas invenio: quem imo coactum etiam aliquando deprehendi, peneque gelatinosum. Et ea certe coactio mihi visa est simul ejus vaporis indolem probare concretionis capacem, simul & naturalem ejus copiam in his vaginis esse insignem. Quamquam existimo coactionem in vapore post mortem successisse: caloris enim defectui tribuenda, qui non solet in vita nervis facile defesse. Nervorum namque truncos, ramosque præcipuos, natura & communi partium calore, & muscularum in primis, quibus subjacent, accubitu solet defendere. Qua ratione vapor in nervorum vaginis neque redundare potest, neque frigore figi. Et hæc in nervis defendendis naturæ providentia elucet adeo per corpus humanum, ut fere duo tantum insignes nervi excipi possint, non sine maximo, consilio eo munere defecti: quorum nervorum alter est in cubito, alter in crure. In cubito enim nervus insignis; *cubitalem* Anatomici vocant; inter olecranon ulnæ, & condylum humeri interiorem, ex aversa flexuræ cubiti parte, pene subiectus cuti decurrit: qua in sede, musculosi incubitus ministerium, quo tot alii gaudent nervi, cubitalis desiderat. In crure vero multa ischiadici nervi pars assimilem cubitalis nuditatem experitur. Natus enim a spina radice multiplici post majorem femoris trochanterem coalescit in truncum ischiadicus nervus: interque illum trochanterem, glutaeumque musculum majorem, quadratum femoris,

caput-

caputque bicipitis , via satis facili , & laxa , descendit ad poplitem , bicipiti subjectus , ac semiten-
dinoso . In toto hoc tractu ambitur nervus undique musculis , non adstringitur ; totusque vaginis la-
xissimis molliter continetur . Truncus vero , ut
poplitem attigit , in duas partes præcipuas secedit :
quarum altera major , directionem trunci prosequi-
tur , suramque penitus intrat , inter principia musculi
gastrochxnemii ; cui musculo subjecta , & valenter ad-
stricta , versus calcaneum descendit : minor altera ve-
ro pars cruri exterius advoluta antrorsum deflectit .
Minor autem hæc altera pars est ob nervosorum sta-
minum quantitatem minorem , sed vaginalum laxitate
trunko suppar . Nam a trunko profecta per exterio-
rem inferioremque genu partem oblique descendit ,
imam supergrediens capitis fibulæ sedem . In quo
toto descensu a trunko ad fibulam omni musculo
nuda est , cutique subjecta , progreditur . Laxis id-
eo hac tota in sede , & vapore divitibus gaudet
vaginis . Superato fibulæ capite , inter peroneum
longum , fibulæque corpus descendit : indeque sub
longo vadit digitorum pedis extensore , tandem
inter longum extensorem pollicis , & tibialem an-
teriorem . Hæctenus musculis sepulta , sed mox pristi-
næ restituita libertati . Nam , ut extensorem pollicis
evadit , saepe ad septem usque transversos digitos su-
pra malleolum exteriorem , bifariam dividitur , &
per priorem cruris partem extrinsecus vergentem ,
musculis iterum nudata , cutique subjecta descen-
dit . Pergit autem sub cute descendere ad superio-
ra usque , exterioraque dorsi pedis , donec tandem
in ramos dissipata in pedis carnibus definat .

XXX. TRVNCVS igitur ischiadici nervi , an-
teriorque propago in crus demissa , non , ut propa-
go altera suram invadens , musculis inclusa , striæ

que decurrent, sed maximam partem aut nullum habent muscularum accubitum, aut perquam levem. Hæ itaque nervi partes vaginis laxioribus ambiuntur, vaporeque divitibus, & ideo longe aptis, quæ, præ cæteris reliquorum nervorum vaginis, superfluos humores, quandoquidem iis machina laboret, sibi recipient. Solet enim in laxiora loca, & minus resistentia, corporum undique nitentium facilior esse receptus. Quem ego receptum in his vaginis opinor, non modo superfluis, sed pravis etiam, acribusque humoribus posse facilem esse. Acrium etenim humorum vim irritabiliora vasa maxime sentiunt, quæ, si intrinsecus stimulo percipiuntur, acre percens urgent, actuosius reddunt, & vel sibi infingunt, & retinent, vel expellunt audacter in vicina, quæ spectent, spatia cellulosa. Vasorum autem irritabilitas tunicarum, quibus constant, teneritudinem exigit: teneritudo autem tunicarum semper major est in vasis, quæ vicinarum partium pressioni minus omnium subjecta sunt: quod fere proprium est vasorum vaginas percurrentium trunci, priorisque propaginis ischiadicis nervi. Est igitur de natura corporis humani, ut in his potius, quam in cæteris aliorum nervorum vaginis five copia redundant, five accredine peccent ejus humores, maximam inveniant opportunitatem nocendi. Quam ego puto nulli hominum deesse, quamquam aliqui esse possint ei noxæ opportuniiores: quemadmodum illi sunt, qui nervorum ischiadicorum vaginas naturâ laxiores habeant, nudioresve consueto. Nam sicuti ad ophtalmiam, ad anginam, catarrhumve præ aliis alii procliviores sunt, ob locorum, quibus morbi illi insident, peculiarem in illis corporibus habitum; sic homines possunt esse ad partendam ischiadem intrinsecus excitatam dispositiores. Ut vero ex causis

sis extrinsecus coxae applicitis fiat postica ischias nervosa, ingenita ischiaco nervo, & omnibus eadem ineſt disposi-
tio. Tam frequentem namque habet muscularum nu-
ditatem (xxix), ut frigus, aliave fortuito in coxam ex-
trinsecus incurrentia, facile in ejus truncum, cruralem-
que propaginem, vim possint suam proxime exercere.
Quam pariter vim non semel vidi propaginem nervi al-
teram in suram demissam identidem retulisse. Retulit
subinde vero, tanquam doloris radiis a trunco proceden-
tibus invasa: & si forte doluit constantius, quasi do-
loris cauſis infessa, id raro accidit, & illis opinor
in subiectis, in quibus ea propago non fatis effet mu-
sculis adstricta; aut quando tanta vis acris materiæ
in ischiadicum nervum incubuerat, ut, musculis in-
vitis, in illam suræ propaginem irrumperet (xxxvi).

XXXI. HACTENVS mihi videor probabiles cauſas protulisse, quæ ischiadicum nervum cogant indolere (xxvi), & cur ejus nervi truncus, priorque propago in crus demissa, doloris tractum ſæpe ſustineant (xxix), præque cæteris machinæ nervis, cubitali excepto, do-
loris cauſis capiendis ſint maxime idonea. Quo in
cubitali nervo non eſt cur quispiam curioſe querat
dispositionem eandem fere eſſe, paſſionem rariorem.
Etsi de illa enim paſſionis raritate cauſari parvitas
poſſit nudæ ſedis nervi cubitalis; non tamen tan-
ta, ut creditur, ea raritas eſt. Siquidem vidi frequen-
ter cum ischiadico nervo cubitalem etiam dolere,
idque præcipue cum cauſa doloris fuit interior,
ſic ut potuerit utrique nervo occurrere. Quam do-
loris ſocietatem & conſenſum in cubito, atque co-
xa, ſic ut uno eodemque tempore ambæ illæ par-
tes indolerent, tractanti mihi plurimos rheumaticos,
venereove viru dīvexatos videre contigit ſæpiſſi-
me: nec dubito quin, ſi animus ſedulo advertatur,
dolorum hoc connubium frequenter occurrat. Imo
quem-

quemadmodum in coxa natum antea dolorem sensim s^epe vidi ad pedem descendisse , vel in pede natum petivisse coxam ; sic frequenter in cubito residentem dolorem , & ad humerum ascendere , & ad postremos vidi manus digitos propagari . Tantaque est in his doloribus similitas , atque consentio , sive partium indolentium eadem dispositio , sive nati doloris natura spectetur , ut censeam recte CELSVM (m) utriusque doloris judicia conjunxisse , pene etiam exequasse . Ego vero si nomen ischiadis non fuisset a sede doloris , sed a forma profectum , minime dubitasse illum brachii dolorem *nervosam cubitalem ischiadem* appellare . Convenit enim cum postica ischiade nervosa , forma , sede (xxix) , symptomatibus (iv) , curatione (lv) .

XXXII. Cum igitur uber , acerve vapor in extimis vaginis ischiadici nervi firmiter immorans posticam efficiat ischiadem nervosam , quomodo symptomata ischiadis omnia , effectusque gignat , videamus . Et primo si a nimia copia vaporis orta est ischias , distractantur necessario nervorum vaginæ , & inclusa nervosa filamenta comprimentur : itaque dolebit minus quam torpebit crus . Contra si peccat vaporis acredo : tum enim dolor erit acrior , & permanens . Sed , utralibet ex caussa duxerit originem , vespertinis temporibus ischiadica passio semper erit acerbior . Incalescit enim vespere hominis machina , & tum quod incitato sanguinis motu major vaporis copia in vaginas nervorum derivatur , vel quod , aucto calore , acris materia vaginis conclusa impellitur , & excitatur , ischiadicæ passionis fiet incrementum . In quo incremento quantum ægri quandoque crucientur , vix puto verbis explicari posse . Evidem vidi qui misere noctes ducerent ad diluculum insomnes , ischiadicis cruciatibus acriter divexati : cumque lecti calorem

(m) De re Medica Lib.2. cap.viii. p.m.75. Edit.Roterd. MDCCL.

lorem ferre non possent, aut vigiles totas noctes inambulando transegisse, aut, lecto relieto, recubasse humi. Et vidi qui, ut tantulum diu negati capeserent somni, capiti subjicerent pulvinar, nudum autem corpus intecto solo infsternerent. Estque in eadem caloris adauerti pernicie posita ratio, cur post crapulam effusiorem, postque magnos machinæ motus augescat ischiadicus hic dolor, & consuetam vespertinam exacerbationem anticipet. Itemque cur ischiadicis doloris major sit æstivo tempore vis, major cum æger laneo, quam stramineo lecto recubuit. Et ex laneo quidem lecto quot post noctem dolore vigilatam vidi ægros surrexisse, per integras etiam horas stare pedibus nequivere; impedita cruris male affecti extentione; paullatimque erexerunt se prout aura frigidior cubile pervaderet, aut crus invitum agitaretur. Quæ duo quod calore exagitatum in vaginalis nervosis acrem vaporem forte sedarent, ac uberiorius accurentem repellerent, videntur profuisse. Semper autem probat calor si dolorem aliquem intendit, acrem, exsuperantemve materiam doloris illius potiorem cauſsam efficere. Cujus indicii quanta utilitas fit, is, qui curandis ægris operam locet, potest intelligere. Nam in dolorum turba, queis maxima constat pars morborum, sæpe sumus in anicipiti. Alios namque dolores vespere acerbari videmus, mane mitescere; alios contra matutinis in horis fieri graviores. Vtrorumque dispar natura manifesta est, cauſsa disparitatis non manifesta. Hanc tamen elucidant caloris effectus. Nam doloribus vespere increcentibus calor obest, mitescentibus prodest. Illis ergo doloribus caloris effectus obfunt, iſtis profundunt. Caloris autem in humores effectus sunt rarefacere, solvere, commovereque. Itaque doloribus caloris accessione mitescentibus, solutione,

lutio, commotioque materiæ dolorem inferentis prodet: nocebat hæc igitur crassa indole, & gravi, partemque affectam opprimente. Quāmobrem qui matutinis in horis graviores fiunt, mites omnes, torporique similes dolores sunt; calidisque assumtis, admotisque, curabiles: & vidi nuper liberaliori vi- ni potu talem natum in ægro, ob diuturnum dextri lateris incubitum, in nate, dolorem evanuisse. Doloribus contra caloris accessu increascentibus dubium esse non potest caussam dare materiam vel copia peccantem, quæ crescat incitatis vitæ viribus; vel a credine noxiæ, quæ, caloris veluti facibus admotis, agitetur ultro, fiatque valentior. Ita explicatur, cur asthmatici gravius antelucanis horis patiantur, quorum pectus lentâ crassâque materiâ farciatur; quod sæpe visum: rheumatici contra, atque podagrifici, quorum dolores ab acribus humoribus existunt, vespertinis.

XXXIII. DVM vero ischiadem patitur ischiadicus nervus, sensim in novum habitum transmutatur; quem vel ipsa cum ischiade originitus induit, vel non diu post natam ischiadem acquirit. Isque habitus est *hydrops extimarum nervi vaginalium*. Qui si a nimia vaporis copia duxit ischias originem, in ipsa hac copia existit: si vero humorum acredini dolor ischiadicus debetur, non diu post natam sequetur ischiadem. Scilicet acris materiæ stimulo in nervum irritatum major in dies consueto fiet humorum concursus; quem stimulus semper provocat in carnibus animatis. Et hic major concursus tum per ischiaci nervi filamenta, tum per sanguiferas erit vaginalium arterias: eritque uberior cum acrior affuerit irritatio: quod semper est quando dolor sævit. Doloris ergo tempore arteriæ simul, nervique irritantur, & hi subiectos musculos convellunt, faciuntque sæpe crampos do-

dolentissimos (v); illæ nimium replent cruris carnes, & vaginas potissimum nervosas caussam stimuli habentes uberiori vaporis copia ditant (xxxiv). Crampos autem illos sequi solet venarum sub cute partis dolentis discurrentium temporaria inflatio varicosa, quam ut olim in ischiadicō paroxismo M A R T I A N V S (v), nos in *vagis crampis* hysteriarum clare vidimus. Numperque Matrona crampis illis obnoxia; *tractus nervorum* vulgus appellat; quo loco identidem patiebatur, manus dorso, cubito, brachio, collo, crure, carnes tumebant; venæque loci illius inflatione turgentibus, levantesque toto crampi tempore erant. Quam inflationem a nimio sanguine potissimum derivo in venis illis laxioribus collecto, utpote sub cute sitis; in quas omnis illa sanguinis copia, quæ sedes cruris interiores, convulsione clausas nequivit invadere, crampi tempore corrivatur. Crampus autem est brevis, invita, violentaque musculi convulsio: & sedes vere convulsas sanguis non immeat.

XXXIV. IMMEA T vero uberrimus stimulatas cruris arterias, in quas accurrit, vel potius velocissime transmeat, inundatque loca, ponderosioraque reddit, in quæ arteriæ illæ finiuntur (xxi). In his vaginas etiam ischiadicī nervi, quarum in primis arteriæ stimulis proprius agitantur: illasque replet multo vapore: qui necessario crassior consueto, crurisque ignavia, torporeque immotus, laxis illis in vaginis (xxx) facile residet. Itaque vaginæ ischiadicī nervi hydropicæ fiunt: isque hydrops cum semel invasit, si dolor ischiadicus perseverat, crescit in dies, & confirmatur. Nequit etenim venis tanta resorberi copia vaporis in vaginis effusi, quanta doloris tempore quotidie incurrit: partim quod oscula venarum, pleraque certe, obruente vapore, opprimuntur; partim quod vapor mora ipsa fit in dies impatientior
reforb-

resorbtionis. Nam vapor, qui coagulo dives est, aptus resorbtioni est cum recens est, si diutine immoratur, loco quantumvis opportuno, resorberi amplius nequit. Crassiores etenim glutinosioresque lymphæ partes, quibus ille vapor imbuitur (xxix), mora, ab aquosiori sensim vaporis parte sejunetæ applicari solent parietibus caveæ illius, qua concluduntur: & limo persimiles novam in membranam paullatim coalescunt, quæ parietes illos intrinsecus obfarcit. Cujus novæ membranæ ministerio patentia in illis parietibus oscula venarum absorbentium maximam partem occludi necesse est, & absorbendi officio venas defici. Quod in omnibus factum vidi, quotquot abdominis, vel pectoris hydrope diurno potissimum laborarunt: quorum ventrium parietibus, sed maxime pectoris, tot saepissime talium membranarum superadjecta vidi strata, ut aperte intelligerem cur toties in hydrope confirmato neque purgantibus, neque diureticis, neque sudoriferis remediis elici aquæ possint. Nato igitur ischiadicō dolore intumescunt vaginæ sensim ischiadici nervi, & nisi cito materia dolorem inferens destruatur, fiunt hydropicæ: isque hydrops, nisi statim dissipetur, pertinax fit, crustatis coriaceo tegmine parietibus intimis vaginalrum nervosarum. In hoc autem hydrope nonnihil utilitatis esse potest: nam, affluente vapore, acris materia, quæ antea nervo adhærebat, diluitur fortassis, immisceturque vapor: cuius alluvie absorpta non adeo restat libera, & inclusa nervo minus nocet. Inde videor intelligere, cur saepè ischias in initiis fit continua, fiat postea sensim intermittens (iv). Tales namque ischiades acri materia genitas esse puto, quæ donec diluatur, aetuosior est, stimulumque progignit perenniorem: diluta, nisi novo impulsu aetuoſa fiat, prope definit infævire. Accipit vero impulsum aut calore nimio,

nimio, aut musculari motu plurimum aucto (xxxii) : quibus solet ex cauſſis ischias intermittens intempeſtive exacerbari . Ideoque in his casibus donec intra vaginas ischiadici nervi collectus humor quiescit, quod ſæpe interdiu fit, torporis in crure ſensus, non doloris, adeſt: quem ſenſum puto ab humoris collecti pondere natum perpetim in nervum incumbentis : ceſſat ille torpor, redeunte dolore; ſenſus minor, accedente majori . Ea tamen, quæcumque fit, hydropis utilitas magnis certe damnis, quæ paullatim infert, ſuperatur. Nam, hydrope nato, etſi dolor intermittit, paſſio tamen confirmatur, longiorque fit; ſæpe etiam dolor ipſe exacerbationis tempore ſævior comparet. Quæ major ſævitia aut quia ſanguis in dies in ischiadicum nervum, habitus jam perverſi, novam acrem materiam deponit; aut quia ſemel delata mora faēta eſt deterior; aut quia ſe tandem potius illa materies contagione multiplicavit, po- reſt oriri . Valetque in primis contagionis vis, quando acris materia nervum irritans indolis eſt ve- nereæ: qualis lentam ob indolem ischiadicos ſæpe in nervos, uti cæteras in machinæ partes minus ca- lidas, minusque commotas, ſolet defigi.

XXXV. Si t nomen ergo confirmatae poſticæ ischiadis nervosæ hydropi datum trunci, priorisque cruralis propaginis ischiadici nervi; quem hydropem patiens diu ſi negligat, næ iſte pedetentim in cruris incurrat ſemiparalysim . Neque etenim poſteſt ischiadicus nervus circumaggeſti vaporis pondere diu gravari, quin ejus filamenta nervosa preſſione illa ſenſim elidantur, & muſculis nerviſque ſubjectis debilius adminiftrant. Quæ ſcilicet eſt cauſſa illius poſtremæ omnium horum ischiadicorum ſcenæ, atro- phia, & ſemiparalysis (vii). Illum tamen hydro- pem, tantarum rerum auctorem, quem haſtenus

con-

conjectando forte videar evicisse, in ischiadicō nervo, donec ischiadem patiatur, adesse; sperabam experimen-
to probaturum cadaveris sectionem, quam ex neco-
pinato nuper, dum hæc conscriberemus, hominis
hanc ischiadem passi forte fortuna contigit instituere.
Sed quin hæc dissectio mihi pro eo ac voluisse fatis
faceret, plurima obstatere. Etenim Vir erat annorum
circiter quinquaginta, qui quatuor ante menses quam
hoc nostrum adiret Incurabilem Nosocomium,
Salerno Neapolim iter faciens, nescio qua caussa,
coactus est noctu, nudis pedibus, multam, fluen-
temque aquam pertransire. Paullo post dolore cor-
ripitur in planta, & dorso pedis dextri, qui sen-
sim ascendens ad ischium usque pervenit, directio-
ne servata, quæ est in postica ischiade nervosa.
Morbum initio sævum non repetitæ juvarant san-
guinis missiones, non unguina varia, non δραστικα
purgantia iterata; cum æger acuta febre correptus
die Junii decimasexta in Nosocomium est delatus.
Erat febris ex epidemicarum putridarum genere in
quam infimæ plebis homo, in summa hujus anni 1764.
annonæ caritate, ut plerique homines fortis ejusdem, ob
perversam forte visitandi rationem inciderat. Macies
ei summa, herbeus cutis color; quæ communia tum
temporis multis erant hominibus caritatem expertis;
āndicia fortassis diutini ex crudis vegetantibus ali-
menti; virium dejectione multa, alvus sollicita, &
fluens. Febris, ut par erat, feliçiter depulsa, sequens
valetudo, ut in corpore inanito, multam intulit
famem. Hanc parco nutrimento, quod vires paul-
latim erigeret, non enervem adhuc opprimeret con-
coquendi facultatem, temperandam ægro persuasi.
Interim cum alvi laxitas totis febris temporibus,
quæ duodecimo desit, ischiadicum dolorem non ex-
tinxisset; qui dolor sæviente febri valde intensus e-
vafe-

vaserat ; qua tradam (li) methodo ischiadis curatio-
nem sum ingressus . Erat res in vado , jamque do-
lor insigniter imminutus brevi secuturam curatio-
nem integrum persuadebat , cum , famis impatiens ,
multa æger , nulloque ordine , ele^tioneve servata ,
cæpit devorare . Corripitur iterum ingenti alvi fluo-
re , qui tres intra dies corpus admodum enerve ad
internacionem confecit . Eo extincto , visa est oc-
casio longe digna , quæ nostram posset de hydrope
ischiaci nervi in postica ischiade nervosa sententiam
declarare . Neque enim desperabamus ; ut ut æger
diebus vitæ extremis vix ad imam tibiam tantulum
ischiadicu^m doloris sensisset ; si vere ischiadicu^m nervus
hydrope laborasset , aliquid in eo nervo inventum
iri , quod si non præsentem ostendere , prægressam saltem
morbi caussam posset arguere . Cadaver in Thea-
trum perlatum est : nos dissectionem instituimus .
In illo tamen quædam extrinsecus obversata spem no-
stram infregere . Etenim clunes corruptæ vermina-
verant , & pes uterque ad medium usque tibiam
aqua intercute laborabat : quæ vitia , dum æger vi-
veret , nemini attenta , forte postremis vitæ diebus
irrepsisse dicebantur . Ut cumque tamen inita disse-
ctio . Visisque primum vitiis in abdomen mani-
festis , quæ fluoris alvi caussas quadantenus decla-
rarent ; quorum historiæ aliâs erit fortasse locus ;
ad ischiadicu^m dextrum nervum nos convertimus .
Quo detecto , sic visum . Erat nervus , adhuc vagi-
nis indutus , a coxa ad tibiam solito coloratior ;
non jam vasorum vaginas percurrentium magnitu-
dine , aut plenitate , sed intinctu quodam novo
ambientium membranarum ; omnes etenim flave-
bant . Itaque vaginis nervi extimis incisis , deter-
soque vapore ; quo certe non præter naturalem mo-
dum imbuebantur ; vidimus vaginas crassiores con-

sueto , colorem illum non apparetum , sed imbutum possidere , quo ne ipse quidem nervus , et si certe pallidior , erat immunis . A fibulae autem capite ad pedem imum albidior erat nervus , pleniorque vapore : cuius , a medio tibiae inferius , copia tanta supererat , ut insigniter vaginæ a nervo inclusa distarent , quo locum facerent vaporis . Enactutum mihi nata suspicio gravis , essetne in ea infima nervi sede visus hydrops residuum hydropis ischiadis prægressæ ; an progenies illius , qui carnes proximas insideret . Erat autem ultra sedes , ad quas cutis cedema pertineret , nervi hydrops extensus : quod facere posset ad referendum hydropem ischiadi prægressæ . Et novus ille vaginalium color trunci ischiadicæ nervi a coxa ad crus indicium dare posse videbatur lymphaticæ proluviei , quæ illas olim sedes occupasset (xxxiiii , xxxi) . Quia tamen in eo cadavere , de quo nunc disputamus , & propter fervorem tempestatis , & propter aperti in antecessum abdominis , cluniumque fætorem , & propter efficacem metum contagionis , qui illa tempestate omnibus erat merito summus , finistrum ischiadicum nervum omnino neglexi , qui potuisset evincere , an color ille trunci nervosi dextri vere novus , an forte proprius , & ad naturam eo in homine esset , nihil omnino sum ausus ex hac dissectione decernere .

XXXVI . QVEM autem hydropem ischiadicæ nervi mihi similem vero fecit stimuli sensus , & naturæ , atque simul ischiadis pervicaciæ contemplatio , quamquam secta cadavera non aperte declararunt , plurimæ tamen ischiadicorum curationes ad hanc opinionem feliciter institutæ apertissimum evicerunt . In quas etiam levissima , atque fugax animi adversio vel hominem negligentissimum , nedum merito suspicacem , docere hydropem illum potuisset . In cuius

lus rei demonstrationem non antea deveniam, quam non leve dubium exemero & oriri facile, & solvi necessarium. Id est hujusmodi. Cum ischiadicus nervus ischiade prehensus hydrope laborat, estne tan-
ta hydropis extensio quanta doloris, ut adeo hydrops totum occupet nervi tractum, qui a coxa indo-
let ad pedem; an potius hydrops summum unice te-
neat nervi truncum, quem primo solet dolor invade-
re, reliquus autem usque ad pedem nervus dolori
trunci consentiens indoleat? In qua re non parvis
rationibus ad illam accedo opinionem, quæ in ve-
ra, & confirmata postica ischiade nervosa (iii) do-
loris comitem hydropa constituit. Nam si in ve-
ra ischiade nervus ultra coxam consensu doleret,
quomodo subinde ad poplitem usque (iii), & non
semper ad crus totum dolor extenditur? Ecur po-
tius cruralis anterior nervi ischiadici pars dolenti
debet truncō toties consentire (xxix), non etiam sem-
per unā posterior, quæ pertinet ad suram? Nonne,
quod iis nervi partibus dolor firmiter insidet, quæ
caussam in se continent dolendi? Ad hæc, quavis
in sede nervum ischiadicum extrinsecus imprimas, do-
lor antea silens in vera ischiade sæpiissime revocatur:
quod mihi est documento, in quavis affecti nervi
sede caussam doloris contineri, quæ urgeri possit ex-
trinsecus, & impelli. Doloris autem caussa comi-
tatur hydropi. Ischiadicus ergo nervus ischiadem
patiens sive in coxa dolor incœpit, & ad pedem
desiit, sive a pede natus ascendit ad coxam, quan-
tus quantus pertinaciter indolet, hydropticus est.
Hæc tamen intelligo de dolore nervi illo, qui & fi-
xus est, & pertinax, veramque nervosam ischiadem
(i) efficit; sunt enim vagæ quædam ischiadici
nervi punctiones; *fulgura doloris* vulgus appellat;
quæ a trunci dolore in ramos propagato solent ori-

ri. Hæ tamen volaticæ sunt, pertinacemque morbum; in quo veræ ischiadis nervosæ positus est character; non constituunt: *spasmos ischiadicos* appellarem.

XXXVII. Sic itaque constituo; ea ut contraham in brevi, quæ per tot capita fusius edifferui; decubitum uberis, irritantisve materiæ factum in vaginas ischiadici nervi ischiadem nervosam posticam efficere. Quæ si ab valde acris materiæ stimulo fit, cum vaginalium inflammatione potest oriri: quemadmodum forte oritur quæ acrior est ischias, & constanter. Hoc primum morbi stadium est: quod excipit hydrops, qui confirmat ischiadem. Hydrops vero, si diutine obtineat, nervum opprimit adeo, ut nequeat ulterius muscularis inservire, unde ob nervi defectum, & muscularum diu feriantium hebetudinem, cruris acceder semiparalysis. Qui sæpe nervosæ ischiadis posticæ transitus est novissimus. Habet itaque morbus velut tempora tria, quibus medicam opem posse re possit: habet principia sæpe coniuncta inflammationi: habitum hydropicum in decursu: transitum postremo in semiparalysim. Contra hæc suis copiis debet medicus, suisque artibus insurgere.

XXXVIII. IN his singulis ergo stadiis nervosæ ischiadis posticæ, quæ longo nobis usu profuisse sunt visa, nunc diligenter enarrabimus. Et quidem in initiis, quando sævior est, & continentior ischias, mire semper profuit sanguinis missio, quæ levavit semper morbum, quandoque etiam extinxit: maxime quibus consueti fluxus hemorrhoidum, uterive suppressi fecerant ischiadem. Cujus rei utilitatem facile explicabit quisquis attendat, missione sanguinis copiam humorum, unaque vitæ vires, caloremque animantium imminui, quæ vel faciunt ischiadem, vel reddunt acerbiorem (xxxii).

attat-

attamen definiendus est unde sanguis mitti debeat : neque etenim hoc in stadio locus idem semper æque profuit. Igitur si suppressæ hemorrhoides nocuere , hirudinibus ani coronæ applicitis , quæ sanguinem inde exsuperantem educant , morbus levatur : minus utilem aliâs vidi sanguinis missione . Vidi semel taliter ischiadicò natis repento vagis in abdomine doloribus , spontaneo naturæ molimine , post diem unum , & alterum apertas hemorrhoides : quarum fluxu tres per dies procedente , ischiadicus dolor integre evanuit . Magna etenim intercedit inter sedes hemorrhoidarias , & crura consentio : & vidi sæpe hemorrhoidum , uterive , imminente fluxu , ischiadicos nervos indoluisse ; exacto fluxu , evanuisse do-lores . At quibus excretio sanguinis uterina deficiens fecit ischiadem , optabilis est evocatio sanguinis ab utero : quam nuper in muliere pene quadragenaria quatuor cucurbitulis siccis repetito applicitis femini utrique , & proximæ sedi femoris anteriori , felicissime evocavi . Hoc autem præstiti imminente jam consueto evacuationis tempore . Si minus hæc succedant , a pedibus utiliter sanguis educitur . Etenim constanti experientia probatum mihi video , nihil uteri fluxum efficacius elicere missione sanguinis ex pede . Quæ res potest in eo rationem habere , quod dum sanguinis accursum ad infera promovet , vim ejus ad uterum alliciat majorem . Itaque vidi suppressum sæpe uteri fluorem hoc auxilio provocatum , imminente acceleratum , lentum etiam incitatum . Nihil autem efficacius utero vires addit , ac veluti calcaria sive ad menstrua velis , sive ad lochia revocare : nihilque est illâ præstantius sive partum difficilem expedire coneris , sive expeditum accelerare .

XXXIX. POSSET autem quæstio esse , num potius ex affecto , an ex libero pede profit in ischiadœ

sanguinem mittere : quamquam mihi certe olim utrinque noxia illa sanguinis missio videbatur , metu ne in sedes illas sanguis vocatus , quæ morbum continerent , majori esset detrimento . Quod olim fere senserat CÆLIUS etiam AVRELIANVS , qui postquam indicavit plurimos ex talo , atque ancala ejusdem partis , quæ fuerit ischiadica passione possessa venam dividentes sanguinem detraxisse ; apte regessit ita partes cruris impletas magis gravari , cum repente vacuata loca in semet materia fluxum invitarent (n) . Cum autem Claris viris a pede affecti lateris mire laudatam legerem sanguinis missionem , ut quæ sæpe dolorem pene instanter extinxisset , cum vellem incredulus experiri , inveni rem veram . Vidi etenim , poplitis venâ incisâ , bis extinctam omnino , sæpe mire levatam hanc ischiadem . Vidi frequentius , & facilius , ischiadicæ venæ ramo ante , vel post malleolum exteriores aperto , quem ZECHIVS (o) in hoc morbo incidendum commendaverat , sensim ischiadem evanuisse . Cujus rei , contra ac crederem expertæ , plurima jam , per quatuor pene annos , & vulgaria mihi sunt exempla . Placet nuperrimum afferre . Vir erat quadragenarius , qui pondus ingens elevaturus , corripitur dolore in sinistra sede ossis sacri . Dolor in dies secundum ischiadicum nervum paullatim descendens nervosam perfecit ischiadem posticam . Crus æger extendere non poterat , & ab hora diei vicesima secunda multam ad noctem miserrime torquebatur . Venit ad nos fere post mensem : sanguinem jubemus emitte ab illo ischiadicæ ramo , qui ante malleolum exteriores affecti lateris excurrebat , ad uncias pene duodecim : qua-

fan-

(n) Morborum Chronicorum
Lib. V. cap. 1. p. m. 556.

(o) Consult. Med. XLIII.
p. m. 467. Ed. Francof.

sanguinis missione peracta , sensim dolor intra binos dies evanuit ; vix parvulo ejus , sed innoxio sensu ad os sacrum relicto . An ergo ex ipsa prodest sede affecta sanguinem mittere, quod, ex ipsis venis lateris affecti sanguine educto , vacuantæ venæ illæ liberaliter sanguent , collectumque in vaginis nervi ischiadici vaporem efficaciter attrahunt ? Sic quidem non semel vidi , quemadmodum in ischiade , in ipsa etiam podagra , illa tamen albescente , ac veluti phlegmatica (nemo id etenim perferre voluit rubente prehensus) incisâ venâ aliqua super ipsam , quod mirum , partem tumidam , dolentemque excurrente , ac sanguine inde educto , mitigatum pariter acrem dolorem , paucosque intra dies morbum lentum alias , & pervicacem leniter evanuisse .

XL. Si sanguinis igitur missione , etiam , tentare libuerit , iterata ; saepe etenim sic perfecit , quam semel instituta inchoaverat curationem ; morbus omnino non evanuit , duo sunt auxilia efficaciter usurpanda : alvi valens eductio , & partis affectæ frictiones . Quæ duo suis legibus administranda sunt . Etenim incitanda est alvus duos ob fines , & ne inde quid noxii venæ attrahant , quod ulterius in sanguinem relatum ischiadis materiam possit augere , & ut , vacuatis per intestina humeribus , debiliores fiant vitæ vires , & sanguinis cursus ad ischiadis sedem infirmior . Siquidem habeo compertum inter alvum , & crura relationem magnam intercedere : ut alvo adstricta gravescere crura videam , & torpida fieri ; solutâ , levari statim , expeditaque esse . Rheumaticum vidi , cuius alvum diu clausam crurum torpor , & gravitas sociabatur : alvo , paucō assumto oleo , egregie soluta , libertas illico rediit gradiendi . Egregie itaque HIPPOCRATES ,

ut est apud CÆLIUM AVRELIANVM (p.), utilis ischiadicis dysenteriam affirmavit. In ischiadicis ergo si forte ruetus olidi, & graves habentur, aut ipochondriorum, maxime dextri, molesta, & murmurans est contrestatio, pravorum humorum, qui primas, ut ajunt, vias obsideant, praesentia indicatur: his utile est emeticum. Quod potest, si morbus perseveret, iterari. Nuper hac ischiade laboranti data per tres continuos dies vini emetici semuncia, horis matutinis, magnam eduxit vim lenti, flavique humoris; quo menstrua jam ischias est brevi profligata. Si locus emetico non est, quod saepe accidit, καὶ οὐτω̄ alvus concitanda est. Hoc dupli ratione fieri potest, clystere, aut purgamento. Clyster mihi semper utilior est expertus. Et primo diluens injiciendus est horis vespertinis: si fieri etiam possit, antelucanis. Ex malvae decocto, & melle, aut mannae pauxillo utiliter paratur. Talibus clysteribus, ut lumbaginem saepe, sic dolores ischiadicos vidi semper mire levatos. Si non satis hi proficiant, paullo acriores clysteres usurpandi sunt: isti attamen caute; nimis enim acres vidi nocentissimos (XLV). Ex vetusta muria olivarum, quæ sit malvae, aut hyperici decocto satis temperata uti consuevi. Lenes illi clysteres vespere utilius usurpantur: nam feces vacuando, attrahentem vim intestinorum, somni tempori maximam, defectu aliquo pravarum materierum, redundunt ischiadico quadantenus innoxiam. Intestina item fovent, & nescio quam sensibilem ægris refrigerationem administrant, qua imminens illis horis ischiadis acerbitas, aut inchoata, leniri solet. Clysteris injectionem, si fieri possit, antecedere jubeo acerbationis tempus horæ spatio: aliâs autem sub ipsa acceſ.

(p) Loco proxime citato p. m. 549.

accessione institutam iteratamque utiliter vidi. At clysteres acres, qui stimulum inferendo, convocandoque ad intestina humores, profunt, quoniam semper vidi pulsus reddere frequentiorem, ægrique calorem facere, jactationemque majorem, matutinis in horis soleo imperare. Credidi etenim vespre injectos ischiadem nocturnam potuisse exacerbare. Purgantibus non utor: raro etenim proficia; frequenter etiam vidi incremento doloris inservisse.

XLI. SÆPE attamen hæc auxilia minuunt morbum, non omnino delent: idque maxime fit cum cœpit ischias veterascere. Tum ergo, quia fortassis oscula venarum absorbentium, in vaginas aperta ischiadici nervi acre condentibus, obstrui cœpere (xxxiv), excitanda eorum vis, & quodammodo juvanda est. Quod perficiunt egregie frictiones: in quarum usu, experientia edocet, utile monitum proponam. Cum enim, ut ischiadi hoc tempore prosit, id debeat frictio efficere, ut iners humor vaginalis implexus ischiadici nervi, in illa oscula venarum, quæ forte nondum penitus sint occlusa, pressurâ juvatus, insinuetur; sedemque vaginalium, quam adhuc pigra statione tenuerat, sensim relinquat; id omnino præstandum est, ut propellat frictio veteres humores, non alliciat novos. Quamobrem ita frictio est adhibenda ut præter lenem pressuram nihil stimuli inferat. Quod est certe difficillimum. Sed tamen id fere obtineo, quoties nuda ministri manu, non pannis obvolutâ, nec alio armatâ stimulo, secundum doloris tractum jubeo sedem afficitam leniter mulciri. Et ne manus, & carnes conficatæ incalescant, inque sedem laborantem sanguinem multum attrahant, ubertim oleo perfundi sedem confricandam jubeo. Mane singulo per horæ quadran-

drantem , sed vicibus intermissis , frictio instituenda : qua saepe vidi hos dolores ischiadicos sensim integre vanuisse . Oleo utor olivarum , aut sebo liquato , quando sanæ mentis ægrotans , quod sanitatem afferat , id unice præstans , magnumque remedium puret : sed spem salutis remediorum specie metientibus , aut butyrum ex *cacao* , aut vulpinum oleum recens paratum , aut viperinum , aut , quod se maxime raritate commendat , humanam pinguitudinem commendo . Dum lubricam etenim frictionem mihi præstent ægroti , hoc illudve feligant oleum perinde est . Oleum autem interfusum , quo copia est majori , hōc minus aptam frictionem efficit carnibus inflammmandis . Frigidum etiam oleum semper adhibeo ; nam calefactum dolorem efficit acriorem . Quod adeo multis habeo confirmatum observationibus , ut Veteres plane mirer tot fomenta , tot unguina calida potuisse ischiadicis proficua prædicare : in his A V R E L I A N V M (q) . Equitis autem casus ante hos quatuor pene annos adhuc memoriæ succurrit . Podagram subinde expertus corripitur dolore coxario ad pedem eunte . Consulitur , ursinam axungiam aliquantulum calidam inungeret , tum laterem incoctum quamcalentissimum inunctæ sedi apponeret . Factum : at auctus est insigniter actutum dolor , qui tamen spe salutis primo toleratur . Sed molestiæ insigniter increscunt , ejulatusque extorquent plane miserrimos . Ad hæc crampus supervenit violentissimus . Tunc ejecto latere , sedes inuncta sollicite perpurgatur . Durat nihilominus convulsio , paullo tamen in dies minor , fere hebdomadam . Dieta , requiete , multo epoto per diem dilutissimo fero lactis , rediit dolor tolerabilis , crurisque satis commoda agitatio . Hæc , hisque

(q) Loco jamjam citato p. m. 550.

hisque similia me docuerunt exempla quam noxius in hoc morbo , ut cæterarum calidarum rerum (xxxii), inunctionum etiam calentium , atque fomentorum effet usus . Itaque inunctionio frigidi sit olei : ad lubricitatem enim instituitur, quæ calore non indiget . Sic frictiones proficuae videbuntur . Quarum virtuti aliquid fere simile mihi videntur tria illa auxilia præstare , quorum ad ischiadem apud veteres , recentesque medicos , celebris est memoria . Vecturam intelligo , decantationem , electrificationem . Et enim CÆLIUS AVRELIANVS convenire ischiadicis motum voluit , sed primum fertorio letto , dehinc cathedra , vel sella (r) : & THEMISONI necessarium visum est ischiadicos equitare (s) . Reète quidem utrique gestatio potius , quam deambulatio commendata . Hæc enim sanguinem advocat in sedem affectam ; & vidi in muliere , post duorum dierum celerem insuetam deambulationem , ortam hanc ischiadem ; gestatio vero leni concussum , atque tremore , molliter pellit residentes humores in ischiadico nervo , & in meatus insinuat absorbentium venarum . Affert scilicet frictionis commoda , vitata pressione . Hinc leni ischiadi proficuam vidi vecturam in rheda : quæ fortiori tamen parum profuit . Decantationis autem vetustior est fama , ut cuius utilitatis ad ischiadem auctorem faciant (t) PYTHAGORAM: quamquam id rectius fortasse alii HISMENIAE referant Thebano , de quo BOETHIVS in musicis retulit , pluribus , quos ischiadicus morbus vexabat , modulis cunctas fere absterrisse molestias (u) . Quem HISMENIAM puto PHILISTIONEM indicasse cum fistulatorem memoravisse loca

(r) Loco citato p. m. 552.

(s) Apud CÆLIUM AVRELIANVM loco citato p. m. 556.

(t) CÆLIUS AVRELIA-

NVS loco citato pag. 555.

(u) CRINITVS de honesta disciplina lib. xii. cap. xii. pag. 342. ed. GRYPHI 1561.

loca in ischiade *dolentia* utiliter decantasse (x). Quod auxilium quamquam SORANVS vanæ mentis jactantiam judicavit, non tamen ut vanum audacter antiquarem; videmus etenim in sonitu artificiose modulato crurum præcipue carnes exsultare, & tanquam *saltum* inchoare *palpitando*, ut recte est olim a PHILISTIONE animadversum. Eaque lenis palpitatione sonitu excitata, similis esse potest palpitationi, quam in carnibus excitat vectura, & æque proficia. Neque alia fortassis ratione potuit prodesse electricatio; qua novem mensium ischiadem hanc nervosam percuratam memorat Cl. VERATTVS (y); nisi palpitationem excitando muscularum ischiadicum nervum complectentium, qua interceptus humor expelleretur.

XLII. DVM hæc autem ministrantur auxilia solent casus esse non rari, in quibus vehementia doloris, cuius caußæ non possint cito destrui, sit interim enervanda. Sæpe etenim noctis quies, machinæ necessaria, ob magnam doloris acerbitatem affertur. Vnicum ad hunc finem, atque præstans auxilium est in opio: cuius granulum sub vesperam deglutitum ischiadicos fævissimos dolores vidimus insigniter compescuisse. Cujus rei fidem etiam præstitit inter alios, instituto in semetipso experimento, ABRAHAMVS KAAVIVS BOERHAAVE (z). Quando autem ischiadicus assueverit opio, ejus ut vim amplius non persentiat, non tam augenda dosis ejus est; quo ischiadicum torporem ingravescere vidi; quam potius solvendum est opii pauxillum in latis aqua diluti felibra, & postquam elota fuerint communibus clysteribus intestina, per clysterem injicien-

(x) Apud AVRELIANVM
loco proxime citato.

(y) Osservazioni Fisico-Mediche
intorno alla Elettricità in

Bologna 1748. pag. 99.

(z) Impetum faciens dictum
HIPPOCRATI num.
440.

jiciendum. Hac itaque via injici posset crudi opii granulum, vel guttæ aliquot tincturæ anodynæ SYDENHAMII; potest & dimidiatum granulum laudani opati, vel nepenthes QVERCETANI: quod variis edictus experimentis affirmo. Habet autem opium per ani vias immissum constantiorem utilitatem, forte quia, inexpertâ bilis, aliorumque humorum intestinalium miscellâ, quorum commixtione sensim opii vires fortassis enervantur, purius sanguinem, & vigorosius intrat. Evidem vidi frequentes asthmaticos convulsivos insultus hac opii inductione redditos rariores: vidi saepè ipsam colliquativam hecticorum diarrhæam firmiter imminutam a parvula opii dosi per ani vias inducta, quam auferat potius copia major deglutita. Quos præcelentes effectus deberi vitato opii cum bile congresui, persuasum fere habeo. Etenim oleum tenue in opio est, cui soporifera facultas unice inest, quo detracto; uti quidem fit dum aquæ incoquitur, ad cuius superficiem oleum illud secedit, de quo paucula grana vivo cani propinata mortem attulerunt repentinam (*a*); quod restat ex opio id innoxium omnino est, quod est in primis expertum a STA-LIO (*b*). Opii igitur oleum si cum bilis oleo, acidaque ejus parte (*c*), commisceatur, enervabitur sensim, ac fere tandem soporifera ejus vis evanescet. Notum est enim quid acida possint in plantarum destruenda soporifera facultate. Ab hac autem bilis efficacia in opii viribus enervandis, ratio mihi præcipua videtur reperenda, cur homines hoc minus sentiant opii

vim

- (*a*) NEVMANNVS Chemiæ
pag. 969. BVCHNERVS (*c*) cis a miner. regno &c. §.II.
de opii effectibus. Confer VALLISNERII
Epistol. ad L. TESTI.
(*b*) Apud JO. CHRIST. JA-
COBI de viribus hypnoti- Op. vol. 3. p. m. 162. & sequ.
Edit. Venet. MDCCXXXIII.

vim , quo diutius ejus usui assueverint : quod multis in arte habemus confirmatum exemplis . Opii namque virtute , cum vitæ vires elangescant , secretiones humorum , quotquot a sanguine arterioso in hominis machina fiunt , minuuntur ; una superstite , non tam integra , quam forte potius aucta , bilis secretione (XLIII) . Hæc etenim a sanguine fit venoso , cujus quo tardior est motus , hoc major bilis copia separatur . Bilis ergo in intestinis hōc magis redundat , quo diutius opium sumitur . Adeoque materia destruens opii vires eo major adest , quo usus opii fuerit longior . Nonne ergo quod opium bilis copiam augeat , dum in alvi fluore a bile produc̄to exhibentur opiata , quantum sub primo adventu fluorem imminuunt , tantum ubi opii vires evanuerint , vehementius alvi fluxus recrudescit , & credit uberius ?

XLIII. HANC opii facultatem augendæ præter modum copiæ bilis , mihi in animum confirmarunt animalium opio necatorum sectiones : in quibus semper vidi uberrimam bilis copiam intestina replevisse . Quod utut jam alibi intentus adnotaverit etiam KAAVIVS , qui in duodeno canis opio sopiti multum bilis invenit , dum simul bile turgerent & vesica fellis , & ductus cholidocus (d) , singulari placet etiam in avium genere experimen-
to confirmare : quod alium in finem , ante hos primo exactum quinque annos , nuper eodem exitu instituimus . Septembri mense pinguissimæ cothurnici bolum ingessimus opii crudi , pondus æquantem granorum duodecim . Ut in bolum compingerem , aquam addidi , quam dimisit ex parte flavo tintam . Ingesto opii bolo , bene primum se habere cothurnix ,
& par

(d) Impetum faciens dictum HIPPOCRATI num. 434.

& par sociis alacritate videbatur. Sed mox sensim remissa ad caveæ angulum se rededit: adeo hebes, ut cum antea conspecto homine exiliret, fugamque pernicem capefferet, sic ut capite pluries caveæ parietibus impacto vertice fauciaretur, opio accepto, torperet penitus immota. Itaque, clausis palpebris, recubans in ventrem, a prima noctis hora, in qua bolum ingessimus, ad quartam usque, qua cubitum ivimus, permanxit. Mane cum surgerem, hora undecima, mortuam suspicabar: vivam attamen adhuc inveni, sed hebetem adeo, ut excussa staret immobilis, vix paululum reseratis, mox clausis iterum, palpebris: quæ cum diducerentur, pupillam inspexi angustiorem ea, quam aliæ simul positæ cothurnices ostenderent. Hoc in statu ad vicefimam usque horam avis perstittit, in qua tandem mortua est. Id autem discriminis inter hanc extitit, aliquamque cothurnicem, in qua primum hoc tentavimus experimentum, quod prior illa intra sex fere horas vivere desit magnis artuum distentionibus agitata; hæc placidior mortua est. In illa tamen opio usus sum caute servato, in hac nonnihil, ut videbatur, effœto. Olentissimum autem stercus hæc moriens ejecit. Cujus abdomine dissecto, et si recens esset mortua, carnes gravissime olebant: & pinguitudo omnis circum aggesta, quæ flavebat insigniter, grave ac nauseosum redolebat. Tenuibus intestinis magna inerat copia bilis flavæ, bullulis æreis quamplurimis intritæ. Craffa item eo humore turgentia, pauxillum adhuc fœcis continebant ad anum. Ventriculō dissecto, adhuc integrum in eo opii bolum offendit: cuius ne particula quidem minima, quod ego perspicerem, descenderat in intestinum. Pauxilla tantum boli pars erat adhuc in ingluvie, humoris commixta acris odoris, loturæque carnis concolori. Erat autem ventriculus circa bo-

lum

lum maxime adstrictus: cuius callosa interior, villosaque tunica a reliquis ventriculi carnibus, quasi caustico tacta, secesserat sic, ut leniter mulcita integræ decideret. Fluidus erat omnino sanguis, grumorumque expers, quem a dissectis eduximus cordis caveis, vasisque vicinis: in quo, adhucdum vasis inhærente, plusculæ videbantur olei guttulæ supernare. His perspectis & cum primum instituimus, & cum altera vice repetivimus experimentum, singulare subjecimus tentamen, cuius extitere effectus attentione dignissimi. Nam bolum opii a ventriculo extractum, & ingluvie defunctæ cothurnicis, iterum ponderatum, pristinum granorum duodecim servare pondus compertum est. Deinde hunc ipsum opii bolum, alteri cothurnici petulantissimæ ingessimus. Quæ tamen cothurnix quamquam primo tempore paululum temulenta videretur, mox tamen resipuit, pristinamque constanter alacritatem ostendit. Vixit inde alacris omnino, & nihil patiens, apud nos donec voluimus, mensem, & ultra. Mihi nunc in animo non est, ad alia properanti, quæ ad suscepsum spectant de ischiade sermonem, ea, quæ possent, omnia ex his deducere experimentis: devia namque cogor declinare. Satis attamen mihi facient dummodo evincant, opii usu bilis uberem copiam, consue-
toque majorem intestina ingredi.

XLIV. COMPESCUNT igitur opiata nimis acerbum ischiadicum dolorem: usumque obtinent præcipuum in ea ischiade, quæ venereis orta causis, communibus remediis parum obsequens est. Hæc eadem omnium maxime & constantius ferox est, & noctu intentior. Neque mihi frequentes ejus casus pertractanti multum profuisse visa sunt pleraque auxilia haec tenus recensita. Nam vidi sanguinis missionem vix levasse dolorem, nec quidquam præstítisse, ne morbus

morbus augeretur. Eadem purgantium fortuna fuit. Frictionum etiam vel levissimarum usum vidi pernoxium; harum namque processu claudicatio crevit semper, crurisque dimotio evasit dolorosior. Opata unice compescendo dolori contulere. Præstans autem semper in hydrargyro fuit curationis fundatum. Quando igitur constitit venereum virus ischiadicum nervum labefacere; constitit autem semper, quoties corpus infectum illa iue, dolorem ischiadicum pateretur, qui nullis cesserit efficacibus remediis, ad hydrargyri usum prudentem veniendum fuit. Mihi pluries cessit egregie mercurius dulcis septies sublimatus: cuius quotidie vespertinis horis grana circiter decem, æquis cerussæ stibii partibus additis, melleque commixtis, ægrotantibus exhibui; librâ post horæ quadrantem superpotâ decoctionis saturæ ligni guajaci. Intra unam alteramve septimanam, uti simplices alios veneros dolores, insignesque illos nervis insidentes, quos nominant *osteocopos*, & perperam vulgo potius ad ossa tribuuntur; sic nervosam hanc ischiadem vidi saepe profligatam. Idque modo perfectum est, sudoribus uberrime elicitis, modo & alvo simul eliquata, quandoque vero urinis redditis crassioribus, nec raro vix ulla, quam perspicerem, sensibili humorum perturbata excretione. Hæc si forte non proficiant; & saepe in venerea ischiade confirmata irrita vidi; videtur ad ipsam veniendum esse hydrargyrosim: quam tamen multo-ties frustra expertam non ausim efficacem omnino prædicare. Itaque in hac etiam, ut in alia quavis ischiade pertinaci, ad alia remedia transeundum est tutiora quidem, & fructuosiora.

XLV. ETENIM quando accidit, ut omnibus auxiliis hactenus recensitis ischias renuat, vel ut forte neglecta veteraverit, jam in eo stadio pertran-

sivit, in quo cauffam habet completum hydropa vaginalium ischiadici nervi (xxxiii). In cuius stadii curatione visa est adhuc inter ausus ingentes, magnosque conatus fere inutiliter fatigata medicina. Morbus etenim tristis, atque diuturnus duobus est audacibus auxiliis a medicis oppugnatus, acerrimis clysteribus, & causticis: quae ambo novis cruciatis vexavere ægros tristi satis morbo divexatos, & irritam saepe attulerunt medicinam ipso morbo acerbiorem. Visi sunt enim ad evocandum ad intestina collectum in coxa humorem, opportuni clystres quamacerrimi; ut adeo portentosas clysterum varietates medici certatim excogitaverint: quas omnes partim ut inutiles, partim etiam ut noxias sciens præteream. Sunt nostris agyrtis, atque agricolis duæ maxime clysterum præparationes celebratae. Etenim alii in sambuci decoctum tythymali lac uberrime effundunt, idque toties per anum continenter injiciunt, donec dejectiones producent sanguinatæ; alii ex saturo bryoniæ decocto magna copia parato, uno mane, aut & altero tot conlequenter clysteres injectant, donec inter summos cruciatus fundant vivum sanguinem intestina. Fatebor ingenuus me quoque nonnullas ejusmodi perfectas observasse curationes; plurimas etiam accepisse ab hominibus fide dignis. In quibus attamen affui saepe cohorrui, & ægrotantium miseram dolui vicem, quos viderim sub ista clysterum carnificina fere exanimes: magis etiam illos, qui, his novis cruciatibus toleratis, morbum nihilominus integrum retulerunt. Adhuc autem videre videor mulieris exemplum. Erat annorum undequinquaginta, plurium filiorum mater, correpta mense Julio postica ischiade nervosa dextri lateris. Per bimensem sanguinis missione ex pedibus, & ano, ter diversis temporibus largiter

giter instituta , purgantibus validissimis repetito usurpatis , emplastro ex resina pini , mastice , & olibano post majorem femoris trochanterem , qua princeps doloris sedes erat , a medicis inutiliter est vexata . Postremum agyrtae consilio ad clysterem singularem ventum est ex generoso vino paratum , pauculo oleo olivarum , & uncia dimidia hieræ picræ G A L E N I . Primo clystere inje^{cto} , prehenditur mulier variis , violentisque convulsionibus , & statim præfocatur : quo in statu per duas permanit pene horas , pulsu sic depresso , vix ut dignosceretur : nec antea resipuit , quam repetitis ex laetè clysteribus intestinum elotum esset , & frequentibus abdomen mollissimis ex malva cataplasmatisbus esset fotum . Eam vero abdominalis cruciatus non ante multos dies , quos usu repetito clysterum ex laetè paratorum exegit , reliquere . Ischias autem stetit eadem , curataq^{ue} demum , ut brevi dicam (L1).

XLVI. N E C fuit causticorum , quæ Medici vindentur post fallacem s^æpe expertam clysterum operam arcessivisse (e) , conditio diversa . Videbantur enim caustica ad materiam ischiadis extrahendam , ut reapse erant , opportunissima (XLVIII) : duarum tamen ignoratione rerum , speciei scilicet ischiadis , in qua unice valere possent , & loci in primis , in quo deberent applicari , raro , & casu potius , quam consilio utilia sunt experta . Neque enim omni ischiadi opes potest afferri per caustica ; nam quæ arthritica est , causticorum fere omnium solet operam eludere . Vidi per sex pene menses dolorem alte infixum paullo posterius femoris cum coxa connexum ,

E 2

quem

(e) Confer HIPPONCRATEM
de affectionibus cap. XXX. pag. m. 179. , & CALIVM
AVRELIANVM l.c.p.m. 553.

quem neque ter repetita vesicantis actio , neque bis adhibita ustio percuraverat : erupit postremo abscessus alte intimo subiectus gluteo musculo , quem seccio profunda manifestavit . In ischiade attamen nervosa , quæ causticorum opera mirifice percuratur (LI) , nisi locis aptentur opportunis , inutilia quoque caustica sunt (LII) . Quam in rem presbyteri annorum trium & triginta singularem historiam enarrabo . Erat cholERICA temperie , ullis non parcens quavis tempestate laboribus , quo venatum iret . Cumque Januario mense per nivem altissimam confragosa quædam loca venatus caufsa peragraret , dolore prehenditur immani dextri coxendicis ad pedem usque protendente : sic ut domum vix redire , seque lecto committere potuerit . Nihil domi sive fomentorum , sive unguinum , in quæ solet mulierum industria esse præceps , primis diebus , antequam Medicus arcesseretur , parcitum ei est . Incassum omnia , sæviente in dies cruciatu . Medicus arcessitus ischiadicam venam aperiri jubet , ac sedi dolenti humanam pinguitudinem affricari . Non minus irrita hæc : ut adeo sanguis denuo , tertioque mitti , & δραστικώτατον illud decoctum ex bryonia per clysteres injici debuerit . Quibus , non levi sanguinis copia dejeta , non tam conquiescere decimoseptimo ferme die morbus est visus , quam potius nova forma se ostendere . Nam , qui nullo jam temporum discrimine diu solebat , noctuque maxime vexare , acutie veluti , diurnoque officio defunctus , nocte cœpit acriter insævire . Sic ut sanissimus æger traduceret dies ; vigiles autem noctes inter lacrymas , & ejulatus : ut , non antequam dilucesceret , fessa jam lumina somno dare posset . Tum vero nihil a Medicis intentatum relictum est , quo opem afferrent ægrotanti . Nam , ut omnia contraham in brevi , intra bienium ,

nium bis ægro dolentior sedes , post majorem femoris trochanterem , ignito ferro profunde inusta : bis plena tolerata hydrargyrosis : ex bryoniae decocto pluries clysteres usurpati usque ad sanguinis dejectionem . Quibus omnibus vix illud tandem potuit obtineri , ut primam saepe noctem dolor placidam relinqueret . Hoc cum esset in statu Neapolim advenit . Heic vero , pertinacia morbi , ac magnitudine perspecta , quam valentissima vix fregerint medicamina , cutis dolentiori coxae loco superposita testaceo trajecta est , maximaque mercurii dulcis stibio adnexi , per tres pene menses , copia data , sic ut saliva ubertim efflueret : morbo tamen , uti jam antea , viribus integro . Æger tandem curationis magis , quam morbi pertæsus Neapoli excessit . Hinc manifestum est ustionem illam , quam alias (LIV) ostendam hanc ipsam ischiadem , si opportuno instituatur loco , posse feliciter percurare , profunde adhibitam loco non suo inutiliter cessisse . Quod idem variis exemplis , quæ sciens præteream , vidi comprobatum . Causticorum reliquorum fortuna eadem est (L , LII) . Hinc videoas Chirurgos expertissimos , ustionem illam , quam DIOSCORIDIS auctoritate motus *Arabicam* vocabat SEVERINVS (f) , vulgo ad ischiadem institutam post majorem femoris trochanterem passim aut inutilem , aut raro proficuum prædicare .

XLVII. Horum autem remediorum ad posticam ischiadem nervosam confirmatam fallax , aut inconsrens utilitas vulgarem peperit vocem , hac ischiade prehensos incurabili morbo fatigari . Cujus cum apud nos frequentissima occurserent exempla , sic ipse mecum cogitare cœpi . Vapor imbutus acri materia

E 3

redun-

(f) Pyrotechnia Chirurgica cap. 1.

redundans in vaginis ischiadici nervi eas distendit, & facit hydropicas (xxvii, xxxiii). Hic vero hydrops, si non sanguinis missione, non purgantibus, non clysteribus, non frictionibus cessit, venarum absorbentium ex vaginalium cavo jam clausisse debuit orificia: quæ, si patula essent, nequirent non exsugere (xxxiv), detrahereque a sede, in qua hiant, quidquid humoris occurrit: maxime dum inanitur evacuationibus machina, vel residens ipse humor frictionibus commovetur. Quæ superesse igitur difficulti morbo curandi fructuosior ratio posset? Nonne illa, quam inire solemus, cum in pectoris hydrope, vel abdominis, vel cuiusvis alterius corporis partis, ob eundem forte obfarcitum absorbentium venarum, alia remedia nullatenus profuere? Ea vero esset loci hydropici perforatio, qua, sine venarum ministerio, via posset patentiori collectus humor educi. Quis vero ferat nervum perforari? Sunt enim nervi carnis sepulti, quas trajicias oportet, antea quam nervum affequaris: & ut carnium innoxia sit trajectio; quam potius censeam periculo plenam; quis perforans sic ducat instrumentum, ut quem petas nervum certe attingat? quis ut vaginalis nervi perforet, nervi fibris intactis? quis liberum spondeat exitum lento humori ex angusto meatu, & undique oppresso?

XLVIII. His qui animum advertat, nisi si Anatomes lumine illustretur, facile etiam id pronuntiet, quod medici præstantissimi alias sunt professi, confirmatam nervosam ischiadem posticam nulla posse ratione curari. Nam quæ tanta dementia esset periculosorem ipso morbo instituere curationem? Sed Anatomes adjumento nobis & visum aliter, & expertum est. Nam perforatio vaginalium ischiadici nervi, quæ superesset una efficax omnino confirmatæ ischiadis medicina, facili negotio perfici potest. Si quidem

quidem obstaculum, quod facere solent musculi nervos protegentes, in ischiadicō nervo, cuius vaginæ perforandæ sunt, multis in sedibus deest. Estque antea consulto demonstratum (xxix) ad fibulæ caput, ad imam tibiam, adque dorsum pedis, ipsam ischiadici nervi partem in postica laborantem ischiade nervosa, muscularum accubitu privari, ac tegumentis unice opertam esse. His igitur in sedibus, muscularis intactis, cute unice penetrata, vaginæ ischiaci nervi perforari possent. Quod ut primum cogitavi, altera nec levis nata mecum est quæstio: qua scilicet ratione illis in sedibus subcutaneis ischiadici nervi tuto possent vaginæ perforari. Nam si punctum impetas, metus est, ne trajicias cum vaginis filamenta nervosa, & quam tentes dolore liberare, convulsione excitata, partem corporis perdas; si cæsim, metus idem fere est. Præterea lentus humor est, qui vaginas infercit, ut si velis educere, non aperiendæ tantum sint vaginæ, sed ad sedem apertam vocandus ultiro inclusus humor sit, atque omnino veluti attrahendus. Quæ sæpius meditata mihi in animum induxerunt vaginalium apertionem non feriente instrumento procurare, sed caustico potius vesicante. Cujus opera quotquot poteram proficuas in hoc opere effectus spe complecti, omnes consequi posse videbantur. Nam si erant aperiendæ vaginæ, inclusum ut dimitterent humorum, vesicans certe, ulcerata cute, aut aperire poterat, aut tamquam ex apertis inclusum humorum elicere. Etenim cutis ulcus vesicante factum, si subiectas attingeret vaginas, immediatum inclusi humoris exitum procuraret: si, vaginis intactis, in cute subsisteret, quoniam cutis cellulæ cum vaginalium cellulis communicant, si qua vis ad cutis cellulas traheret humorum, ea vaginas vacuaret. Quam attrahendi vi

ulcera possidere , quæ vesicantia efficiunt , mihi plurimis est probatum experimentis . Nullum enim vidi natum dolorem in locis cuti subiectis , a decubitu factum lentæ acrisque materiæ , quem vesicans impositum sedi dolenti , ulceræ facto , penitus non curaverit : quorum exemplorum tanta mihi , tamque obvia copia est , ut , si aliqua recenseam , videar insolens . Ea vero demonstrant attractum humorem a subiectis locis per cutis ulcus emanasse .

XLIX. **N**EC mihi repetant hanc dolorum evanescentiam non probare vim illius ulceris attractricem ; quasi forte ulceris sedi subiecta materies aut vesicantis stimulo commota solvi potuerit , & facilius in sanguinem resorberi ; aut cute contracta , quod fit cum ulceratur , adeo apprimi , ut in sanguineas venas remearit . Sunt enim hæc omnia partim rationibus aduersa , partim etiam experimentis . Siquidem cutis , utut ulceræ contracta , lentam acremque subiectam materiam adeo nequit urgere , ut sola appressione ejus ingressum adjuvet in sanguiferas venas . Nam si quæ alterna pressio est , & frictioni similis , vix huic par officio potest esse : vel hanc ipsam pressionem alternam , palpitationi similem , quomodo potest ulcerata cutis exercere ? Sed attendamus experimenta . Est morbi genus venerea natum lue insidens ossi , *gummi* vulgo vocant . Hoc fit ab acri venereo viru periostium insidente , cuius opera inflammatur hæc membrana , & , convenientibus stimulo humoribus , intumescit : hi autem humores veneni vi sensim in naturam lardo similem transeunt , & maximam partem inter periostium , atque os adunantur . Eorum attractu ossis substantia sensim corruptitur , periostium ipsum , sæpe carnes adiectæ . Optabile est , quod reapse accidit frequenter , ut , quando fieri gummi debeant , iis in ossibus fiant , quæ cuti immediate subjiciuntur . Nam sub-

subnascentibus si vesicatorium imponatur , constanti experientia mihi ad hunc diem centies iterata , non comprimuntur modo , & inhibetur illico incrementum ; sed dolor antea gravis conquiescit , tumorque ipse sensim residit , prout ulcus manando veterascit : ulcerare autem ad finem perdu^oto , integra restat pars , nec quidquam 'gummi reliquum invenitur . In fronte , in capillata calvæ parte , in medio sterno , in summis spinosis vertebrarum dorsi processibus , in ulnæ olecrani parte extima , in facie tibiæ anteriori gummi subnascentia s^æpissime vidi , quæ , imposito statim vesicante , ut ulcus excitatum est , atque manavit , constanter evanuerunt . Hujusmodi curationum quid refert historias proferre numerosas , quæ nunquam tantum addere possunt fidei , quantum mihi dabunt ultro qui qui velint in morbo satis obvio tentamen instituere ? Hoc mihi potius addere liceat , natis etiam gummi , & augmentum adeptis opem impositum vesicans attulisse : & quamquam aliquando primi facti ulceris decursus morbum non extinxerit , alterum tamen ulcus , novo superposito vesicante , factum , non raro morbum superavit . Nullus autem dubito hanc opem , quam in gummi venereo percurando vesicantia præstant , manifesto probare vesicantium eximiam in extrahendo a subiectis sedibus manente in illis humore , eodemque per ulcus vacuando , potestatem . Nam si gummi curatur , quorsus ille virosus gummi excitans humor divertit ? numne in sanguinem regressus est ? quemadmodum regreditur cum , cute intacta , sive emplastris hydrargyro divitibus , sive unguento cum hydrargo præparato gummi tegitur , aut confricatur . At solutum ita gummi , dum conceptum venenum sanguini immiscet , quot non damna post se trahit ? Exempla quæ addam fidem faciant . Militi

liti annorum fere triginta in dextra calvæ parte , propter tempus gummi duo sat ampla enascuntur . Imperat Chirurgus , capillito deraſo , elevatas gummi ſedes primum unguine conſtricari cum hydrargyro præparato , inde contegi emplastro , quod eſt de ranis cum duplicato mercurio . Sexto die gummi vanuerunt . Sed uno , aut altero interjecto die corripitur æger dolore capitidis ingenti , & pervigilio : additur his febris . Inflammantur fauces , & deglutitio perit . In hoc ſtatu nata ſpontanea vehemens diarrhœa ſaluti fuit : fortassis & aliquot naſæ in cute pustulæ . Tetrior eſt caſus quem adnectam . Vir erat pene quinquagenarius gummi vexatus in anteriori extremo dextræ veræ tertiae coſtæ , qua ſuæ cartilagini committitur . Adit nuper Nosocomium . Conſtricari gummi unguine ex hydrargyro jubetur . Fit per quinque dies . Solvitur diſparetque gummi . Statim vero febris excitatur insignis , gravitas pri- mum capitidis , mox ſopor , huc illuc convellitur , ma- xime palpebris , pulſus depreſſi fiunt , anhelitus , ſenſuum omnium oppreſſio . Moritur æger ante ho- ras duodequadraginta . Abdomen apertum oſtendit ſub peritoneo , comitem dextrorum iliacorum vaſorum , abſceſſulum ichoroſo humore plenum , qui ſub **FALLOPII** ligamento verſus femen vergeret . Pe- etus ubique ſanum , & in gummi ſede cavum in oſfe oſtendit pauculo ſanguinoſo humore refertum . Ca- put ſub dura matre , inter hanc & cerebrum , maxi- mam fabalbidi ſeri , enormemque copiam collectam habebat . Cerebro deteſto , inter anachnoideam , & piam matrem , puris circa cerebrum , & cerebellum , ubique fere mirifica collectio fuit , ſubviridis , & densi , ut eradi poſſet fruſtulatim , eſſluere non po- ſſet . Nonne pectoris gummi materies frictionibus in ſanguinem repulſa (xli) , & in caput ejecta æ- grum

grum hunc confecit? Nunquid unquam tale sequitur gummi vesicante curatum? Evidem aut me numerosissima exempla deceperunt gummi sine ulla subsequente noxa vesicante curatorum, aut haec curationes manifeste evincunt, quae vesicante curantur, gummi venenum e corpore extrahi, non in sanguinem remeare.

L. **I**GITVR vesicantia, sicubi applicantur, qua ulcus excitant, attrahunt in sedem illam, quam exulcerant, subiectos humores, perque factum ulcus evacuant. Nihil ergo erat caussæ, cur in postica ischiade nervosa, cum essent vaginæ ischiadici nervi evacuandæ, vesicantium applicatio ad sedes nervi subcutaneas negligeretur, unde possent per vesicantis ulcus vaginæ illæ evanescari. Quod primum ut facerem ratio me potissimum persuadebat; postea vero, ut fit recogitanti, sensim vagæ quædam animadversæ apud veteres, recentioresque Medicos observationes tanquam calcar addiderunt. Occurrebant namque casus hujus ischiadis aut forte fortuna, aut irrationali consilio percurratæ, quæcum nullam haberent aliam manifestam adeptæ curationis rationem, in nostra videbantur medendi intentione præclarum habere posse fundamentum. Namque **G A L E N V S** incidenter memoraverat sanatam in viro ischiadem *quatuor jam annos parvis intervallis recurrentem, postquam curatum fuerat, quod acceperat vulnus in malleolo, in quo arteria fuerat discissa* (g). Mihi vero videbatur illud malleoli vulnus ischiadis curationi profuisse, propterea quod inciderit forte in locum, sub quo nervus laborans excurrebat, ejusque vaginas vacuaverit. **P A V L V S** autem ab **ÆGINA**, cui maxima fuit ad ischiadem percurrandam in

(g) In libro de sanguinis missione.

in ustione fiducia , inter sedes in ischiade urendas locum maxime indicavit *supra malleolum exteriorem* (b) : quæ ustio , forte fortuna utilis quandoque experta, rationem habere potuisse videbatur, quod ad immam subcutaneam ischiadici nervi partem, propter illum malleolum descendenter, pertinuerit. ALBVCASIS vero fuit , qui maxime omnium nostris rationibus videbatur explicabiles attulisse observationes; nam *in ea ischiade , in qua ad digitos usque pedis dolor tendat , tribus punctis , aut quatuor , aut , si vis deretur , etiam pluribus , quo loco æger doceret , dolorem scilicet maxime insidere , inurere cauterio commendavit* (i) : scilicet cum dolor nervi tractum potissime teneat , super ipso nervo censuit inurendum . Et hæ quidem disjectæ apud veteres , sed forte fortuna veluti in antecessum præparatæ , nobis arridentes observationes , tanquam fortuito præmissæ veri faces videbantur , quarum aliæ nonnullæ elegantiores apud recentes medicos etiam occurrebant. Etenim ALTIMARVS , qui floruit apud nos sub medio seculo decimosexto , cum multa , ut tunc scriptores medici solebant , indiscriminatim confarcinasset , quæ ischiadem everterent , hoc demum tamquam ultimum *diuturno coxendicum dolori commendavit auxilium ; igne sub genu externa in parte inustionem efficere* (k) . Quod idem paullo post JOANNES ZECCHIVS summopere collaudavit , qui , perdurante ischiade , *paullo subtus genu , in parte exteriore lateris affecti , cauterium censuit inurendum* (l) . Cur autem ea sedes ustioni propitior ? an *derivationis caussa* , uti ZECCHIVS voluit ? sed cur non aliis excitata locis ad eam

(b) De re medica Lib. VI. cap. LXXVI.

(i) Libro primo cap. 43.

(k) De medendis Hum. Cap. morb. cap. CXVIII.

(l) Consult. Med. XLIII.

ad eam plagam spectantibus æque utilis ustio esset? nonne quia *in parte illa exteriore affecti lateris, paulo subtus genu instituta*, super ischiadici nervi parte caderet, cuti subiecta, ad fibulæ caput; itaque opportuno in loco (XL) ejus vaginas aperiret? Neque urendi locum minus spectabile & egregium invenit, hypothesi erronea feliciter usus, A D R I A N V S S P I G E L I V S : qui cum sedem ischiadis in venis cruralibus cum H I P P O C R A T E (v) collocaret, *inter principia musculi gastrocnemii*, qua vena descendit poplitæa, fonticulum proposuit excitandum (m). Quem S C V L T E T V S in se ipso tam feliciter expertus est, ut post varia incassum adhibita medicamina, hujus fonticuli beneficio non a præsenti modo ischiade sit curatus, sed per longam annorum seriem ab eadem immunis exstiterit. Quamobrem non dubitavit afferere, *ubi tam interna, quam externa remedia sine successu in hoc fuerint morbo usurpata, tanquam ad sacram anchoram ad fonticulum in hac sede excitandum confugiendum esse* (n). Quod postea J O A N N E S R H O D I V S comprobavit (o). Quis vero non videat non ob vena, quæ nusquam ischiadici doloris fedes est, sed ob nervi ischiadici viciniam suram subeuntis (xxix) eum fonticulum prodesse potuisse?

L I. H A C T E N V S relatæ Clarissimorum Virorum observationes, quibus nobis meditata ratio curandi confirmatam nervosam ischiadem posticam, quasi totidem præclaris fundamentis inniti posse videbatur, non facile dixero quantam mihi spem injecerint profuturæ vesicantium operæ super fedes subcutaneas ischiadici nervi. Neque enim amplius videbatur no-

va

- (m) De humani corpor. fabr. lib. V. cap. IX. editionis Amstelædami an. MDCCXLI.
 (n) Arma nentar. Chirurg. decl. Tab. LIV. i. p. m. 195. (o) Observat. Medic. Cent. 3. observat. 88.

Va omnino, & audax nostra illa curandi ratio, cuius ante nos præclara jam indicia medici reliquerant præstantissimi. Nihil igitur fuit reliqui, cur ulterius dubitaremus spem conceptam repetere experimentis. Quod erat facillimum. Siquidem apud nos frequentes casus occurrunt hominum hac ischiade laborantium. Tentavimus ergo primum quid vesicans efficeret applicatum capiti fibulae, sic ut totam ejus loci subcutaneam nervi partem comprehenderet. Cum etenim in nervosa ischiade postica a coxa ad fibulam dolor maxime saeviat, a fibula ad pedem longe minus, mihi videbar intelligere materiæ acris copiam majorem a coxa quoque ad fibulam nervi vaginas incolere; quam si vesicante ad imam tibiam, dorsumque pedis applicito vacuare contendarem, metus erat ne vel viæ longitudo, vel vaginalium nervosarum iis in locis angustia descendui materiæ officeret, ejusdemque vacuationi. Applicari ergo primum in homine quadragenario, quatuor jam menses, & amplius ischiade nervosa laborante, fibulae capiti vesicans imperavimus sequenti ratione. Pastam vesicantis communi methodo paratam in formam planam, sex longam transversos digitos, quatuor latam, extendi jussimus. Hæc transversim capiti fibulae applicata est (*p*), sic ut medium emplastri totum fibulae caput occuparet, sive que superesset, sed maxime deorsum: hinc vero, & illinc extrema longitudinis emplastri, alterum ad poplitem ascenderet, alterum descenderet ad tibiam. Fascia vesicans firmatum est. Post quatuor fere horas ardoris sensus dolentissimus cœpit in vesicantis sede persentiri, cujus opera coxarius dolor visus est hebetatus. Dubium tamen an ex eo quod materiam nervum

(*p*) Vide icon. adje&t. L.

nervum insidentem vesicans cæperit detrahere , an quod acrior vesicantis dolor ischiadici doloris mitiorem sensum occuleret . Post horas quatuordecim amplissimam vesicam emplastrum excitaverat : eoque ablato, vesica incisa est: effudit flavissimi seri uncias pene quatuor . Ulcus recenti butyro consueta methodo cœpit mederi: novem manavit dies . Pulcherrimum fuit a primo jam die , quo excitatae vesicæ serum emissum est , potuisse ægrum cruri melius insistere , notwithstanding sequentem duxisse commodiorem : cumque lecto commissus curationem perficeret , non sine nostra gestienti voluptate , tertium post diem professus est se dolorem non amplius ab ossis sacri , & magni trochanteris regione sentire , sed animadvertere supernas sedes doloris originem reliquisse , & sensim versus ulcus vesicantis descendere . Septimo demum die in vesicantis ulceræ dolor constitit , femore penitus liberato . Hic descensus doloris mihi aperte probare videbatur hydrœpem vaginalium ischiadici nervi sensim per ulcus vesicante factum depleri , sic ut qua ratione in ulcus ipsum acris materia desuper descenderet , paullatim immunes supernas nervi partes ab irritatione relinqueret ; donec penitus educita , dolor prorsus evanesceret . Nono autem die & qui a fibula erat ad dorsum pedis dolor fere evanuerat , quo tempore per se ulcus solidatum est . Idque fecit , ut putaremus fortasse ob situm cruris horizonti parallelum , æque ad ulcus descendisse humorem occupantem nervi vaginas tum a coxa ad fibulam , cum a fibula ad pedem , unaque via fuisse vacuatum . Ab eo tempore constanter immunis a pristino ischiadis dolore æger fuit .

LII . POST hoc experimentum quot pari semper eventu per hos quatuor annos instituerim in Nofocomio , auditores nostri præclare meminerint :

ego

ego certe metuam , si edixero , jactantiæ insimulari . Observationes tamen aliquot , tot ab exemplis erutas , non possum præterire . Et primo quidem saepe vidi serum illud in vesica , quam emplastrum excitavit , coadunatum , acre adeo exstisit , ut intolerabilem ægro ardoris sensum inferret , quandoque etiam vesicam ipsam præroderet , emergetque . Vidi adolescentem sex & viginti annorum , duos jam menses hac ischiade crudeliter vexatum , cui rupta per se est maxima vesica ad fibulæ caput emplasti opera excitata : serum , quod emersit , per crus descendens , quæ attigit cruris loca , latissime omnia excoriavit . Quod certe , nisi fallor , acris indolis materiæ dolorem ischiadicum inferentis non leve indicium (vii) est . Descensum autem illum originis doloris , magis magisque in dies , versus genu , rari fure casus , qui distinctissime non ostenderent : vix unum & alterum in tot exemplis memini . Accidit etiam iis , qui nervosa ischiade postica diutissime laboraverant , utemplasti opera excitata vesica serum quandoque funderet tenacissimum , glutinique par ; quod serum cum evasit , vetus ischias evanuit . Adeo ut his in ægris si primi vesicantis opere emersit lensus ille & tenax humor , primum vesicans depulit omnino morbum : sin minus , primi vesicantis ulcere solidato , toties oportuit vesicans iterare , donec glutineum illud penitus eliceretur . Habeo frequentes casus , qui vel tertium vesicans repetito exegerint . Placet ad hoc unam , aut alteram historiam recensere . Miles erat annorum sex & quinquaginta : corripitur Septembre dolore vehementi , cuius certam mihi caussam nesciret affirmare . Dolor a sacri ossis regione per posteriorem partem majoris femoris trochanteris , perque poplitem , prioraque cruris , exteriorisque malleoli in subiecti pedis dorsum

dorsum veniebat. Applicatum est ei amplum vesicants in sede articulum femoris cum coxa spectante, qua maxime dolor sentiebatur: sed excitatum ulcus, et si manaverit diu, dolor tamen integer mansit. Expertâ inutiliter vesicantis operâ, sedes eadem ignito ferro profunde inusta est, sed dolor & manante, & solidato hoc altero ignis ulcere, nihilominus perseveravit. Tandem plenam sustinet hydrargyrosim; neque dolor post diuturnam salivationem quidquam imminuitur. Adit post hæc, mense a morbi origine undecimo, Nosocomium, nostræque curæ committitur. Ei cum alvus esset per se cita, neque vitæ vires nimiæ essent, & alvi solutionem, & missionem sanguinis pepercimus. Statim ergo ad fibulæ caput vesicants emplastrum jussimus applicari. Cujus opera vesica insignis excitata est, qua per se rupta, serum quidem fluens multum effluxit, multum tamen coagulatum & tenax in vesica relictum est, quod, vesicæ pelliculâ recisâ, est extrahendum. Postea ab ea vesica qui effluxit densus adeo humor fuit, ut fascias, quæ vesicants retinebant, invicem glutinaverit, cutique proximæ valenter astrinxerit. Nono die, solidato vesicantis ulcere, curatus perfecte æger erat. Vir alter annorum quatuor supra triginta, Februario mense dolore corripitur in coxa sinistra, sine caufsa manifesta. Tractum hic dolor sequebatur, qui est in nervosa ischiade postica. Multis remediis, quorum vix memoriam retinebat, inutiliter adhibitis, plurimorum consilio Medicorum subivit universalem hydrargyrosim. Hujus opera quinque & viginti dies ingenitem salivationem æger passus est: dolore, quod mirum, persistente, et si certe refracto, quandoquidem nocte non tam acriter insæviret. Pertæsus æger cruris impedimentum, irritamque curationem, sub

initiis Augusti fertur ad Nosocomium , nobisque curandus demandatur . Primo die alvum solvi jussimus drachma pulveris sarsæ solutivæ cum granis octo mercurii dulcis . Soluta quater est . Altero die vesicans ad fibulæ caput est aptatum . Tertio vesica excitata visa est perampla , deditque incisa flavissimum tenue serum : dolor autem eo die minor fuit . Ad octavum usque diem , quo vesicantis ulcus consanuit , adeo sensim imminutus dolor erat , ut interdiu levissimus sentiretur , nocturnis tamen horis leves quasdam exacerbationes haberet . Igitur vesicans alterum in eadem sede est appositum , hocque vesicam excitavit amplam , quæ rupta inventa est , serumque visum effudisse aquæ saturæ ichtyocollæ tenacitate par : hujus opera dolor ulterius est imminutus . Sed octavo etiam die ulcus alterum consanuerat , neque dolor penitus excesserat . Tum tertio super eodem sanato jam loco vesicans est impositum : hoc vesicam excitavit tres pene uncias lymphæ mucosissimæ continentem : tertio ab hoc vesicante die dolor penitus evanuit .

LIII. HÆC , aliaque paria recensitis exempla mihi aperte probarunt summam esse necessitatem ad vetustam percurandam nervosam ischiadæ posticam eliciendi glutineum illum , tenacemque humorem , qui vaginas ischiadici nervi diutissime infidendo eam forte lentitudinem acquisivit . Ego vero glutineam naturam illam pertinere putavi magis ad eam morbos humoris partem , quæ a summa coxa ad fibulam nervi incolat vaginas , quam ad reliquam ad pedem usque iisdem in vaginis restitantem . Hanc enim morbificæ materiæ partem ut habeam vel in diurna ischiade nervosa pauciorem , fluidioremque , faciunt hæc duo , subiectio nempe non levis ad musculos cruris multæ partis ejus nervi , qui a fibula ad pedem , venit

venit, qua nonnihil præcavetur mora humoris, & lentitudo; facilis deinde experta, per ulcus excitatum ad fibulæ caput, doloris insidentis crus ad pedem usque integra evanescentia. Quæ præsertim evanescentia liquido ostendit levem adeo, fluentemque materiam tibialem illam nervi sedem continuisse, ut ad ulcus superne ad fibulæ caput excitatum ascendere potuerit, & illac vacuari. Quamquam ingenuus non dissimulabo casus mihi quosdam occurrisse, in quibus, post curatum ulcus ad fibulæ caput vesicante factum, dolor a coxa ad fibulam evanuerit, illa nihilominus reliqua doloris parte, quæ a fibulæ capite ad pedem est. Id vero cum accidit, aut ad imum tibiæ frontem (*q*) ad quatuor transversos digitos supra malleolum exteriorem, extrorsum vesicans applicari jussimus transverse, felicissimo eventu: aut ad summum pedis dorsum etiam transverse (*r*) pari successu applicatum est. Mihi vero olim hæc ad pedis dorsum vesicantis applicatio quodammmodo blandiebatur spe ab imis sedibus eliciendi omnem humorem, qui superas omnes ischiadici nervi vaginas inferciret: sed constanti experientia edoctus sum nullibi dolentius aut agere vesicans, aut vesicantis ulcus apertum servari. Vidi ægros molestissimo doloris sensu horas omnes traduxisse, quotquot vesicantis ustionem comitabantur: ulceraque perfecto, non tam reliqui ischiadici doloris cauffa, qui sæpe omnino evanuerat, quam dolentis ulceris molestia gradum fistere nequivisse. Itaque cum effectus æque felices, minusque molesti comitarentur emplastrum imo tibiæ fronti applicatum, nihil fuit cauffæ cur ab aliquo hinc tempore pedis dorsum ulcerarem.

LIV. Qvæ hæc tenus exposui plenam historiam

F 2

habent

(*q*) Vide Icon. adje&t. K.

(*r*) Ibidem I.

habent nostrarum omnium in ischiade nervosa percuranda observationum : ex quibus spero , nisi me plurima fefellerunt experimenta , fructum non levem , quotquot experiri velint , relatuos . His autem auctor sim , si rerum , quas tradidi ad curam pertinentium , potiri velint , ut antea consulant egregias duas Anatomicas Tabulas EVSTACHII xx , & xix , ut inde doceantur decursum in primis ischiadici nervi : nostramque conferendo adjectam in calce hujus operis iconem , cum Tabula EVSTACHII xix , manifestius intelligent , quam ad nervi partem vesicans pertineat , dum cuicumque trium , quas designavimus , sedium applicatur . Quibus in sedibus pro vesicante saepissime ignitum ferrum applicare voluisse . Fuit mihi namque non levis olim conjectura ignis vi , quem tantopere veteres (L) commendaverant , citius ad sedem igne tam acrem materiam vaginas infarcientem ischiadici nervi attrahi potuisse . Acrior est enim stimulus ignis , & celerior . His accedebat non inelegans fama , qua perlatum est apud Marateenses in Lucania Monachum agyrtam olim extitisse , qui curaret actutum hanc ischiadem ignito ferro eam cruris frontis sedem attingendo , quæ supra malleolum exteriorem quatuor est transversos digitos . Cujus ego rei rationem pervidebam ab adusta sede pendere , cui subcutaneus decurrit ischiadicus nervus . Adhuc autem tanta fuit nostrorum ægrorum de igne formidatio , vel quod aliâs inutiliter in femore pertulerant , vel quod vesicante curatum lenius iri opinarentur , ut nunquam locus fuerit hujus tentaminis instituendi . Mihi interim adeo felix opera vesicantis est experta , ut partim nefas duxerim , tentandi unice caufsa , ignis medicinam adeo asperam adhibere , partim nonnihil efficaciorem certioremq[ue] vesi-

vesicantis operam ignis virtute judicaverim. Quamquam enim stimulus ignis acrior celeriorque sit, ut videatur ad sedem adustam posse materiam vaginis nervi clausam convocare; quia tamen ignis in parte, quam attingit, escharam efformat, convocatae materiae exitui longum superesset impedimentum. Accedit his, quod si latus humor est excernendus, uti in ischiade veterata, non tam apta cutis adusta igne, atque crispata ei possit esse excretioni; ut videatur potius recenti, quam veteratae ischiadi posse ignem prodefesse. Quod si recenti prodest, quam vesicans appositum facile curat, non video, cur ignis feligendus sit; a quo illud etiam esset pertimescendum, ne indocta manu incautaque adhibitus, dum cutem exulcerat, subjectum attingat nervum, & adurat. Cuicui vero ignis opera placeat, si applicandus est, tutius ad eam tibiae frontis partem applicabitur, quam designavimus (s).

L V. Non est autem dissimulandum vesicantis ustionem, si qua unquam in sede, in illis certe sedibus subcutaneis ischiadici nervi evadere dolentissimam. Sed quo dolentior fuit, mihi visa fructuosior. Quod idem fit quoties a dolore pari cubitalis nervus insidetur. Vesicans enim, secundum brachii longitudinem sedi applicatum dolenti, vidi dolores illos pertinacissimos solvisse. Cujusmodi exempla jam quinque adhuc habeo. Dum tamen ea sedes ulceratur dolor est insignis. In postica ergo ischiade nervosa, postquam vesicantis ulcere eductus sit humor omnis qui vaginas ischiadici nervi occupaverat, cessat integrus dolor. Ille interim obfarctus (xxxiv) vaginalium sensim, opinor, solidescit inter laminas cellulosas, eoque fortassis vaginalium crassitudo augetur.

Ita-

(s) *Icon. adject. K.*

Itaque redduntur robustiores, & forte minus aptæ restant, quæ recipiant ischiadem: solet hæc autem ischias cæterum esse ad recidivatum proclivis. Quamquam ego nunquam adhuc viderim quos vesicantis opere percuravi iterum in ischiadem recidisse.


LVI. TRANSITVS autem in semiparalyticum stadium est postremum nervosæ ischiadis posticæ; de quo dicam, quas habeam, observationes. Quando enim dolor ischiadicus unâ persistit, vesicantis opere percurato dolore, rediit cruri pristina vis. Si dolor paullatim evanuit, crurisque macies, & torpor fuit reliquus, unicum in frictionibus inveni præsidium. Itaque, manibus lineis asperis pannis obvolutis, femoris exteriorem, posterioremque sedem, sub qua nervus ischiadicus decurrit, secundum longitudinem, quotidie mane, confricari jussimus. Post frictionem scuticâ coriaceâ plantam subiecti pedis aliquot vices continuo dolari. Idque diu fuit peragendum. Profuit autem his ægris simul vespere guajaci decoctum propinasse. Ita vidi non quidem maciem ablatam, quæ fuit semper pertinacissima, sed nonnihil virium cruris musculos resumisse.

LVII. HIS de postica ischiade nervosa, qui morbus est longe frequentissimus, adnotatis, restat ut de nervosa ischiade antica, quæ rarer est longe, minusque molesta, pertractemus. Infidet hæc nervum cruralem, cuius ductum doloris sensus manifeste persequitur: eamque progignit acris intrusa matieres in ejus nervi vaginas, cuius fons idem ac ischiadico nervo est, immorandi caufa difficilior. Stipatior enim undique musculis cruralis nervus est, frequente pressura vaginas habet exercitas, qua dispellant humorem, si velit immorari. Vidi semper hanc ischiadem noctu etiam acerbatam, vidi & intermittentem. Evasit etiam, ut postica, australi regnante

regnante tempestate , aut calidis admotis , perennis , & gravior ; mitior , interdiuque silens sereno tempore , vel aquilonari . Non semel originem ei dedit lapsus machinæ violentus in latus alterutrum , qui lapsus in homine sexagenario posticam simul , anticamque dextri lateris intulit ischiadem nervosam . Nunquam in ea ischiade percuranda causticis usus sum : semper etenim cessit misso primum sanguine , si videretur , ex hæmorrhoidibus , vel pede subiecto , tum alvo matutinis in horis communibus clysteribus exercita . Vespere tamen semper , si venereæ luis affuit suspicio , superius in hunc usum recensita (XLIV) imperavi : sin minus ad humores diffundendos aut lenem frictionem (XLI) , aut frequentem vecturam commendavi . Hi autem , uti posticam nervosam ischiadem patientes , si cubitum velint habere tolerabilem , non quidem laneum (XXXII) , sed stramineum semper , crinalemve lectum incubent . Sic vidi , uti cæteris in rheumaticis , & arthriticis , faciliores accessisse somnos , doloresque nocturnos fuisse mitiores .

HÆC habui , doctissime SWIETENE , quæ de Ischiade nervosa ad Te perscriberem : si rei dignitas spectetur , pauca fortassis , inornata , & manca ; si vero difficultas , quæ in tractatione omnino nova summa fuisset optimis quibusque ingeniosis , ne- dum mihi homini obtusissimo , plus fortasse quam satis dicta videbuntur . Neque vero in provincia adhuc inaccessa viæ comitem alium , & ducem habui . Oportuit proprio marte invia tentare , & fortibus aulis tenebrata pervadere . Supplebunt spero Viri docti , optimisque subsidiis me longe instructiores , quæ certe non pauca huic operi defint ; & quæ dei non

di non satis explicata , illustrabunt . Fructum la-
boris maximum habebo , si excitasse videar ingenia
optima , quo in re utili proferant bona sua . Quod ego
in primis , Clarissime SWIETENE , a Te censeo
expectandum , quandoquidem immortalibus illis in
BOERHAAVIVM Commentariis , quæ nostra vo-
ta sunt , supremam manum imposueris .



CHARACTERVM ICONIS

E X P L I C A T I O .

FEmoris partem Icon exhibet cum crure , & pe-
de , ad sedes designandas , ad quas vesicans de-
beat applicari , quo pertineat ad præcipuas partes
subcutaneas ischiadici nervi .

- A** Femoris pars ad genu .
- B** Genu .
- C** Rotulæ sedes .
- D** Poples .
- E** Caput fibulæ .
- FFF** Spina tibiæ anterior .
- G** Malleolus exterior .
- H** Malleolus interior .
- I** Sedes in dorso pedis , sub qua extrema pars
portionis cruralis ischiadici nervi subcu-
tanea decurrit .
- K** Sedes in frontis tibiæ inferiori parte sub qua
cruralis eadem portio , recens musculos
evasa , subcutanea descendit .
- L** Sedes ad fibulæ caput sub qua cruralis portio
ischiadici nervi recens a trunco separata
in priora cruris deflectit subcutanea .

F I N I S .

M Ferramentum quædam adu-
nit sedes.

